De rationibus inter artem rhetoricam quarti et primi saeculi intercedentibus.

Dissertatio inauguralis

quam

consensu et auctoritate

amplissimi philosophorum ordinis

in

Universitate Kiloniensi

ad

summos in philosophia honores rite capessendos

scripsit

Claus Peters
Slesvigensis.

Kirchhainii Lusatorum.
Typis descripsit Max Schmersow (Zahn et Baendel).
MCMVII.

Zum Druck genehmigt:

Dr. **Rodenberg,**
z. Z. Dekan.

1. August 1906.

Paulo Wendland

s.

Argumentum.

Postquam altero examine perfunctus negotium dissertationis corrigendae preloque dandae adii, opusculo iterum perlecto aliud sane mihi perficiendum fuisse, aliud me perfecisse sensi. Namque rhetorica quibus a principiis orta, quomodo adolesceret, ita ut quarto saeculo vulgari quadam norma comprenderetur, quemque ad statum ab Aristotele adduceretur, cum Wendlandius[1]) multis in rebus egregie explanasset, equidem enixe persequi debebam, quibus in partibus per saeculorum cursum progressa, qualis ad Ciceronis aetatem permanaret, i. e. quae membra antiquitus tradita etiam posteris temporibus sive integra sive paululum mutata et aucta conservaret, quaeque philosophorum, imprimis Stoicorum[2]) ex officinis adsumeret, denique quae nova per Hermagoram στάσεων inventorem, quem dicunt, reciperet. Sic enim doctrinae rhetoricae cognitio proficere poterat.

Attamen ab hac calce longe me abesse, haud ignoro[3]). Maxime autem doleo, quod philosophiae studium primoribus tantum labris attigi. Quo relicto si quis communem sibi rhetoricam Latinam penitus cognosci posse existimaverit, medius fidius quam valde fallitur! Ipse enim fundamentum huius commentationis propter philosophiae inscientiam meam interdum vacillare in dies magis expertus sum; nec uno loco,

---

[1]) Anaximenes von Lampsacus, Studien zur ältesten Geschichte der Rhetorik, Berlin 1905.

[2]) A Stoicis artificiosae illae partitiones inventae sunt. cf. Striller: De Stoicorum studiis rhetoricis, Bresl. phil. Abh. 1886, I 2; Volkmann[2]: Die Rhetorik der Griechen und Römer, Leipzig, 1885, p. 9.

[3]) Iniuria quoque nonnumquam a via historica, ut ita dicam, aberrans, quando commodius videbatur, initium disputandi et comparandi a Latinis cepi.

cum vim sive Peripateticorum[1]) sive Stoicorum apud Romanos olfacere mihi viderer, ad ipsum fontem, unde sua illi hausissent, me procedere posse quia desperabam, similem doctrinam hic illic apparentem monstrare invitus satis habui. At recte forsitan dixerit quis talem disquisitionem, qua quid ars oratoria, antequam ad Romanos venerit, post Aristotelis memoriam apud Graecos valuerit philosophos excutiatur, tam esse lubricam tantisque difficultatibus impeditam, ut non in libello, sed in libro, non a tirone, sed ab instructo viro et spectato instituenda sit. Quam disquisitionem Strillerus magis movit quam absolvit[2]). Melioribus vero auspiciis Thielius[3]) doctrinae Hermagoreae usque ad id tempus satis obscurae, oblivione obrutae lumen adferre studuit.

Quae cum ita essent, ego in hoc plerumque substiti, ut corpus quoddam praeceptorum ad vulgarem institutionem spectantium a quarto saeculo ad alterum et primum fere integrum migrasse ostenderem. Atque Ciceronis et auctoris ad H. libros rhetoricos — his enim paene solis prioris Latinae rhetoricae notitiam debemus — ad Anaximenis, Aristotelis, Isocratis[4]) παραγγέλματα saepissime et mirum quantum qua-

---

[1]) Et Aristotelea quidem praecepta non raro apud auctorem ad H. et Ciceronem emergunt; quorum multa Jentschius (Aristotelis ex arte rhetorica quid habeat Cicero, diss. Berol. 1866), nonnulla et graviora Marxius in editione auct. ad. H. p. 109,122, (156) et Angermannus in dissertatione, cui titulus est: De Aristotele rhetorum auctore, Lipsiae 1904 p. 2 sqq. collegerunt. Nec tamen Romani vel eorum auctores Aristotelem evolvisse probabile est. Quam opinionem utique incredibilem esse, cum iam antea docti viri suspicati essent, Angermannus prorsus probavit.

[2]) cf. etiam Sudhaus (et Radermacher): Philodemi volumina rhetorica, supplementum, Lipsiae 1895; de Arnim: Dio von Prusa, Berlin 1898 p. 43 sqq.; Kroll: Studien über Ciceros Schrift de oratore, Rh. M. 58, 1903 p. 552 sqq.

[3]) Hermagoras, Strassburg 1893.

[4]) Isocratis doctrina enucleanda erat partim ex Dionysio Hal. de Lys. c. 17 sqq., partim ex anonymo Segueriano, ut Marxius: Berichte d. Sächs. Ges. d. Wiss. phil. hist. Classe LII, 1900, p. 314, Spengelium secutus demonstrat, partim ex oratoris ipsius operibus (cf. Sheehan: de fide artis rhetoricae Isocrati tributae, diss. phil. Bonn. 1901). Ceterum

drare, praeter Spengelium[1]), Thielium[2]), Marxium[3]), Navarrium[4]) aliosque doctos viros Wendlandius[5]), magister venerandus, monuit. Qui idem vir doctissimus, cum adhuc deesset, qui illam constantiam cum in tota arte tum in ea parte, quae est de partibus orationis, perspicuam indagaret quaestione diligentius exhibita, me permovit ad hoc munus suscipiendum, e quo fore sperabat, ut aliquid fructus ad historiam doctrinae oratoriae cognoscendam redundaret.

---

crebrius pro parco artium, quae aetatem tulerunt, numero et oratorum Graecorum et Ciceronis orationes ad rhetorum disciplinam illustrandam et supplendam adhibui. Quod cum aliqua utilitate fieri cum per se ipsum in promptu sit, O. Navarrius in libro, qui inscribitur: Essai sur la rhétorique Grecque avant Aristote, Paris 1900 p. XI sq. disertis insuper verbis monet. Qui ipse Atticorum locos sat multos proponit, cum Ciceronianis congerendis F. Rohdius (Cicero, quae de inventione praecepit, quatenus secutus sit in orationibus generis iudicialis, diss. Regimont. 1903) et Preiswerkius (de inventione orationum Ciceroniarum, diss. Basil. 1905) operam navaverint. Nec magnam eorum copiam in Kayseri et Spengelii commentariis, qui in toto opere componendo summo mihi adiumento fuerunt, non invenies. Locos autem e Ciceronis libris rhetoricis sumptos frequenter Heinickio (de Ciceronis doctrina, quae pertinet ad materiam artis rhetoricae et ad inventionem, diss. Regimont. 1891) et Merchantio (de Ciceronis partitionibus oratoriis, diss. Berol. 1890), nonnullos etiam Jentschio debeo.

[1]) Abh. d. Bayr. Ac. 1855, p. 759.

[2]) Hermagoras p. 119.

[3]) ed. auctoris ad H. p. 156: „apparet rhetores illius temporis et Hermagorae et Aristotelis (malim vulgaris rhetoricae) praecepta in unum conflasse variis usos rationibus neque scriptoris ad H. neque Ciceronis artem appellari posse Hermagoream Latine versam".

[4]) Essai sur la rhétorique Grecque p. XII: „Nul doute, en effet, que tout l'essentiel de la rhétorique des cinquième et quatrième siècles avant Jésus-Christ ne s'y soit transmis." Ceterum vir doctus nostratum libros ad rem propositam pertinentes iusto magis neglexit, quo factum est, ut summa eius disputationis vix satisfaciat.

[5]) Anaximenes p. 57—58.

cum vim sive Peripateticorum[1]) sive Stoicorum apud Romanos olfacere mihi viderer, ad ipsum fontem, unde sua illi hausissent, me procedere posse quia desperabam, similem doctrinam hic illic apparentem monstrare invitus satis habui. At recte forsitan dixerit quis talem disquisitionem, qua quid ars oratoria, antequam ad Romanos venerit, post Aristotelis memoriam apud Graecos valuerit philosophos excutiatur, tam esse lubricam tantisque difficultatibus impeditam, ut non in libello, sed in libro, non a tirone, sed ab instructo viro et spectato instituenda sit. Quam disquisitionem Strillerus magis movit quam absolvit[2]). Melioribus vero auspiciis Thielius[3]) doctrinae Hermagoreae usque ad id tempus satis obscurae, oblivione obrutae lumen adferre studuit.

Quae cum ita essent, ego in hoc plerumque substiti, ut corpus quoddam praeceptorum ad vulgarem institutionem spectantium a quarto saeculo ad alterum et primum fere integrum migrasse ostenderem. Atque Ciceronis et auctoris ad H. libros rhetoricos — his enim paene solis prioris Latinae rhetoricae notitiam debemus — ad Anaximenis, Aristotelis, Isocratis[4]) παραγγέλματα saepissime et mirum quantum qua-

---

[1]) Et Aristotelea quidem praecepta non raro apud auctorem ad H. et Ciceronem emergunt; quorum multa Jentschius (Aristotelis ex arte rhetorica quid habeat Cicero, diss. Berol. 1866), nonnulla et graviora Marxius in editione auct. ad. H. p. 109,122, (156) et Angermannus in dissertatione, cui titulus est: De Aristotele rhetorum auctore, Lipsiae 1904 p. 2 sqq. collegerunt. Nec tamen Romani vel eorum auctores Aristotelem evolvisse probabile est. Quam opinionem utique incredibilem esse, cum iam antea docti viri suspicati essent, Angermannus prorsus probavit.

[2]) cf. etiam Sudhaus (et Radermacher): Philodemi volumina rhetorica, supplementum, Lipsiae 1895; de Arnim: Dio von Prusa, Berlin 1898 p. 43 sqq.; Kroll: Studien über Ciceros Schrift de oratore, Rh. M. 58, 1903 p. 552 sqq.

[3]) Hermagoras, Strassburg 1893.

[4]) Isocratis doctrina enucleanda erat partim ex Dionysio Hal. de Lys. c. 17 sqq., partim ex anonymo Segueriano, ut Marxius: Berichte d. Sächs. Ges. d. Wiss. phil. hist. Classe LII, 1900, p. 314, Spengelium secutus demonstrat, partim ex oratoris ipsius operibus (cf. Sheehan: de fide artis rhetoricae Isocrati tributae, diss. phil. Bonn. 1901). Ceterum

drare, praeter Spengelium[1]), Thielium[2]), Marxium[3]), Navarrium[4]) aliosque doctos viros Wendlandius[5]), magister venerandus, monuit. Qui idem vir doctissimus, cum adhuc deesset, qui illam constantiam cum in tota arte tum in ea parte, quae est de partibus orationis, perspicuam indagaret quaestione diligentius exhibita, me permovit ad hoc munus suscipiendum, e quo fore sperabat, ut aliquid fructus ad historiam doctrinae oratoriae cognoscendam redundaret.

---

crebrius pro parco artium, quae aetatem tulerunt, numero et oratorum Graecorum et Ciceronis orationes ad rhetorum disciplinam illustrandam et supplendam adhibui. Quod cum aliqua utilitate fieri cum per se ipsum in promptu sit, O. Navarrius in libro, qui inscribitur: Essai sur la rhétorique Grecque avant Aristote, Paris 1900 p. XI sq. disertis insuper verbis monet. Qui ipse Atticorum locos sat multos proponit, cum Ciceronianis congerendis F. Rohdius (Cicero, quae de inventione praecepit, quatenus secutus sit in orationibus generis iudicialis, diss. Regimont. 1903) et Preiswerkius (de inventione orationum Ciceroniarum, diss. Basil. 1905) operam navaverint. Nec magnam eorum copiam in Kayseri et Spengelii commentariis, qui in toto opere componendo summo mihi adiumento fuerunt, non invenies. Locos autem e Ciceronis libris rhetoricis sumptos frequenter Heinickio (de Ciceronis doctrina, quae pertinet ad materiam artis rhetoricae et ad inventionem, diss. Regimont. 1891) et Merchantio (de Ciceronis partitionibus oratoriis, diss. Berol. 1890), nonnullos etiam Jentschio debeo.

[1]) Abh. d. Bayr. Ac. 1855, p. 759.

[2]) Hermagoras p. 119.

[3]) ed. auctoris ad H. p. 156: „apparet rhetores illius temporis et Hermagorae et Aristotelis (malim vulgaris rhetoricae) praecepta in unum conflasse variis usos rationibus neque scriptoris ad H. neque Ciceronis artem appellari posse Hermagoream Latine versam“.

[4]) Essai sur la rhétorique Grecque p. XII: „Nul doute, en effet, que tout l'essentiel de la rhétorique des cinquième et quatrième siècles avant Jésus-Christ ne s'y soit transmis.“ Ceterum vir doctus nostratum libros ad rem propositam pertinentes iusto magis neglexit, quo factum est, ut summa eius disputationis vix satisfaciat.

[5]) Anaximenes p. 57—58.

De statibus et ratiocinatione.

Et primum quidem paucis demonstrabo etiam eorum, quae apud posteriores demum exculta et perfecta sunt, initia et incunabula iam in antiquiore arte reperiri. Veluti στάσεων (statuum) doctrina, quo fundamento tota recentior rhetorica nititur, iam apud Anaximenem et Aristotelem adumbrata detegitur. Non quo status quarto saeculo a magistris compositi et digesti et ad universam rhetoricae materiam describendam accommodati fuerint. Quod ne credamus eo maxime prohibemur, quia certa et sollemnia nomina, quibus recentiores status appellabant, Aristotelis aetate adeo deerant, ut στάσεως ne vox quidem ipsa sensu rhetorico adhiberetur. Nomina igitur ignota erant, res ipsae usitatae, ut protinus exponam. Qua expositione fortasse paulum ad illam quaestionem expediendam conferam, de qua etiamnunc viri docti dubitant. Etenim Thielius[1]) ut Minervam ex Iovis capite, ita στάσεων doctrinam ex Hermagorae prodiisse arbitratur. Contra Volkmannus[2]), Susemihlius[3]), Hammerus[4]), quamvis ipsi quoque aliquid inter se distent, hoc tamen una contendunt statuum disciplinam paulatim profecisse, postremo ab Hermagora, cuius iustae gloriae non obtrectant, ad eam formam redactam esse, quae apud posteriores magna auctoritate florebat. Quam sententiam mihi quoque probatam, ut quodammodo fulciam ea quae subsequuntur proferre constitui[5]).

---

[1]) Hermagoras p. 178—80.

[2]) l. c. p. 43 sqq.

[3]) Gesch. d. griech. Litt. in d. Alexandrinerzt. 1892, II p. 472[83].

[4]) B. ph. W. 1893, p. 1544.

[5]) In hac prima opusculi parte Ciceronis scripta praeter libros de inventione raro respexi. Et poterant praetermitti, quia Cicero, postquam

Atque aperte in Anax.[1]) 32,18 sqq. status coniecturalis, iuridicialis absolutus, iuridicialis assumptivus, qui apud auctorem ad H. vocantur, obviam fiunt[2]) (cf. auct.[3])ad H. I 11,18 sqq., Cic. de inv. I 8,10 sqq.). Anax. l. c.: ἢ γὰρ ἀποδεικτέον τῷ ἀπολογουμένῳ, ὡς οὐδὲν τῶν κατηγορουμένων ἔπραξεν· ἢ ἐὰν ἀναγκάζηται ὁμολογεῖν, πειρατέον δεικνύναι ἔννομον καὶ δίκαιον καὶ καλὸν καὶ συμφέρον τῇ πόλει τὸ πεπραγμένον· ἐὰν δὲ μὴ τοῦτο δύνηται ἀποδεῖξαι, εἰς ἁμάρτημα ἢ εἰς ἀτύχημα ἄγοντα τὰς πράξεις . . . . συγγνώμης τυχεῖν πειρατέον. Similiter hi status principales p. 39,7 sqq., ubi de argumento ἐξ εἰκότος oratio est, iterantur. Cum hac doctrina Aristoteles non paucis locis concinit, quos partim iam Spengelius p. 180—82 in unum coegit, tum Marxius l. c. p. 247 sqq. diligenter congessit et ordinavit.

Aliquantulum nimirum inter se differunt rhetor et philosophus, ex quibus hic, ut facere solet, in rebus appellandis terminis philosophis utitur, ille sermonem vulgarem sequitur. Accedit quod Anaximenes status ad genus iudiciale solum trahere videtur, cum Aristoteles eos in omnibus generibus usurpandos esse censeat[4]).

Sequitur, ut quae de statu **iuridiciali assumptivo** —

---

adultus erat, subtiliorem et spinosiorem statuum disciplinam ut declamatorum propriam despexit, id quod ex Heinickii tabellis (cf. e. g. p. 31 sq.) facile intellegitur.

[1]) ed. Hammer-Spengel in Rh. Gr. I, Lipsiae 1894.

[2]) cf. Spengel in commentario p. 174, Volkmann p. 46 sq.

[3]) Auctorem ad H. ex Marxii recensione (Lipsiae 1894), Ciceronis scripta ex Friedericiana recognitione (Lipsiae 1893, 1902) cito. In libris autem de inventione et in Aristotelis Rhetoricis citandis semper fere titulum omisi.

[4]) In hac re posteriores quoque dissenserunt (Volkmann p. 45, Heinicke p. 40). Hoc loco aliquid contra Marxium disputare mihi liceat. Qui vir praestantissimus p. 249 sqq. Aristotelem ipsum de statibus alio modo in tertio libro, alio in ceteris agere putat. Hoc ut verum sit, egomet has differentias vix graves ex ipsa indole et ratione tertii libri, quae diversa est a primi et secundi explicari posse arbitratus sim. Praeterea Marxius ipse status per tertium librum dispersos excutiens facere non potest, quin dicat p. 250: „Dass diese Lehre bereits in den beiden ersten Büchern vorbereitet, ja in denselben enthalten ist, unterliegt keinem Zweifel: Man vgl. nur I 3 p. 1358b 30“.

nam de aliis duobus statibus sc. coniecturali et iuridiciali absoluto vix verba facienda sunt — apud Anaximenem et Aristotelem traduntur, breviter cum iis conferam, quae Cicero et auctor ad H. de eo exhibent.

Auctor ad H. I 14,24; II 16,23 et Cic. I 11,15; II 31,94 hunc statum in quattuor partes dirimunt, quarum prima est *concessio*, quam auctor ad H. sic explicat: *concessio est, cum reus postulat ignosci* (aeque Cic.). Similiter Anaximenes et Aristoteles saepenùmero[1]), si de crimine conceditur, rei esse ut sibi ignoscatur petere, actoris quominus συγγνώμη detur, impedire affirmant. Ipsam deinde *concessionem* Cicero et auctor ad H. in *purgationem* i. e. *cum reus consulto negat se fecisse* (auct. l. c.) et *deprecationem* i. e. *cum et peccasse se et consulto fecisse confitetur*, dispertiunt[2]).

Atque Graecos quoque voluntatem (προαίρεσιν) valde attendisse, discrimine illo efficitur, quod antiquissimis iam temporibus inter τὰ ἀκούσια et ἑκούσια (ἄνευ — μετὰ προνοίας) statuebant. Quantam vero vim προαίρεσις apud Aristotelem habeat, eximie nuper Loeningius[3]) exposuit. Huc spectat etiam partitio illa, qua ἀτύχημα, ἁμάρτημα, ἀδίκημα discernuntur. Quae ex iure orta ad rhetores et philosophos descendit. cf. iam Gorg. Hel. 15,19; Anax. 33,1 sqq.; 39; 93,2 sqq.; Arist. Rhet. 1372b 16 sqq.; 1405a 26 sq.; 1416a 14; prae ceteris autem locis Aristotelicis Rhet. 1374b 5 sqq. et Eth. Nic. 1135b 11 sqq. memorabiles sunt[4]). Similis praeterea διαίρεσις in codicis Marciani divisionibus legitur[5]).

Dein *purgationis* partes Latini scriptores ll. cc.[6]) has praebent: *fortunam* vel *casum*, *imprudentiam*, *necessitudinem*.

---

[1]) cf. Anax. 32,1,14,25; 33,11; 39,16; 55,24; 90,20 sqq.; 93,4 sqq.; Arist. 1373a 28,37; 1374b 4,10; 1402b 11 alias.

[2]) Eadem vel similis divisio Cic. I 27,41; II 5,17—18; I 53,102 = auct. ad H. II 30,49 repetitur. cf. etiam part. or. 11,38; 37,131.

[3]) Die Zurechnungslehre des Aristoteles, Jenae 1903.

[4]) cf. Loening p. 223; 235; 328, apud quem plura invenies; Wendland p. 60[1].

[5]) div. [45] in divisionibus, quae vulgo dicuntur Aristoteleae, ed. H. Mutschmann, Lipsiae 1907, p. 57 (cf. praef. p. XIII).

[6]) cf. de orat. II 25,106; part. or. 12,42; 37,131.

Quae omnes iam apud Graecos apparent: Ac *fortunam* i. e. τύχην, ἀτυχίαν, ἀτύχημα antea commemoravimus; ἄγνοια autem e. g. apud Anax. 33,4; Arist. Eth. Nic. 1110a 1; b 17 sqq., alibi saepissime exstat[1]); (cf. etiam Isocr. IV 47[2]); VIII 60); ἀνάγκη (et βία) Gorg. Hel. 6; Isocr. IV 47[2]); Arist. Rhet. 1372b 17; 1416a 15; Eth. Nic. 1110a 1 sqq.[3]); alias[4]) tangitur.

Tum *deprecationem* Cicero et auctor ad H. ll. cc. (cf. etiam part. or. 12,43) a genere saltem iudiciali segregant. Nec aliter Anaximenes (cf. e. g. p. 33) et Aristoteles (cf. I 3; 1358b 32) iudicare videntur (cf. tamen Anax. 32,24 et Cic. II 35,107).

Iam vero transeundum erat mihi ad *concessionis* explanationem i. e. ad singula praecepta describenda, quae Romani de tribus illis partibus (fortuna, imprudentia, necessitudine) mandant. In quibus inest mehercle cum apud Cic. II, 31,95 sqq. tum apud auct. ad H. II 16, 23—24 vis Peripatetica. Quod fusius expedire utinam mihi licuisset! Atque omnino haec de consulto et non consulto factis doctrina Graeca et Latina longe accuratiore comparatione eget. Quae erit iucundissima, me iudice, sed vereor, ne prospere cedere nequeat nisi iuris Attici et Romani consulto. Et nunc quidem haec praebeo: Anaximenes 39,17 ad veniam conciliandam: πάθη, δι᾽ ὧν ἐξιστάμεθα τοῦ λογισμοῦ, ταῦτα δ᾽ ἐστὶν ἔρως[5]), ὀργή, μέθη, φιλοτιμία afferenda esse putat. Haec nempe vulgaris quaedam excusatio, sed in iudiciis tum usitata erat. Similia enim Aristoteles iis profert locis, ubi ut Eth. Nic. 1149b 4[6]) ad communem opinionem accedit. Ad quam, ni fallor, etiam haec Stagiritae verba alludunt Eth. Nic. III 3, 1111a 24: ἴσως γὰρ οὐ καλῶς λέγεται ἀκούσια εἶναι τὰ διὰ

---

[1]) Loening l. c., cap. 13 p. 210 sqq.

[2]) φιλοσοφίαν ... ἣ .... τῶν συμφορῶν τάς τε δι᾽ ἀμαθίαν καὶ τὰς ἐξ ἀνάγκης γιγνομένας διεῖλεν (Kayser p. 232).

[3]) Hic Aristoteles inter βίας exempla vim ventorum allegat. Quod exemplum Cicero II 32,98 uberrime explicat.

[4]) Loening cap. 11 et 12, p. 191 sqq.

[5]) cf. iam Gorg. Hel. 6,19.

[6]) Alios v. apud Loeningium p. 331[4].

θυμὸν ἢ δι᾽ ἐπιθυμίαν. Ille igitur τὰ πάθη, id quod in cap. III 3 accuratius exponit[1]), plerumque inter τὰ ἑκούσια numerat, quibus, cum semper culpam trahant, venia non conceditur. Cf. Eth. Nic. 1135 b 19: ὅταν δὲ εἰδὼς μὲν μὴ προβουλεύσας δέ (πράξῃ), ἀδίκημα, οἷον ὅσα τε διὰ θυμὸν καὶ ἄλλα πάθη. Itaque dolus in iis, quae per affectum delinquuntur, deest, culpa quam poena subsequitur non deest. Alio autem loco[2]), ubi τῶν ἀκουσίων vim examinat (III 2,1110 b 24, cf. V 10,1136 a 5 sq.), Aristoteles cum facinora δι᾽ ἄγνοιαν et ὑπὸ ἀγνοοῦντος gesta seiungat, haec abesse a culpa, illa vero quamvis ἀκούσια culpae obnoxia esse, οὐ συγγνωμονικά autumat. Atque 1110 b 26 pro ἀγνοοῦτος exemplis μεθύοντα ἢ ὀργιζόμενον habet nec tamen quemlibet temulentum vel iratum — quos in universum ἑκουσίως πράττειν iudicat, ut vidimus — sed ita affectos, ut omni mente careant[3]). Denique saepius[4]) Aristoteles ne eos quidem, qui δι᾽ ἄγνοιαν aliquid minus recte faciunt, ἁπλῶς culpa vacare existimavit; et Eth. Nic. V 10,1135 b 17; Rhet. I 13, 1374 b 6[5]) subtili discrimine ἁμάρτημα et ἀτύχημα distinguens[6]), solis ἀτυχοῦσιν, qui παραλόγως nocent, ignoscendum esse contendit nec vero ἁμαρτοῦσιν δι᾽ ἄγνοιαν, qui μὴ παραλόγως laedunt, ut μεθύουσιν, sc. mentis non compotibus. Nam temulentos hic prae ceteris aliter atque 1113 b 31 δι᾽ ἄγνοιαν agere et simul peccare sumit[7]). Ne multa! Stagirita, cum iudicat ut philosophus, numquam, ut apparet, eis qui affectibus moti crimen in se admittunt, συγγνώμην concessit, quippe quae uni crimine et culpa libero debeatur; raro eum, qui nimis affectibus oboedit (e. g. plane ebrium), ἀκουσίως peccare et δι᾽ ἄγνοιαν in culpa esse statuit. Ecce auctor quoque ad H. II 16,24[8])

[1]) Loening p. 197 sqq.

[2]) Loening p. 216 sqq.

[3]) Hoc Loeningius (p. 218) demonstrasse mihi quidem videtur.

[4]) Loening p. 222 sqq.

[5]) cf. Loening p. 230 sqq.

[6]) cf. supra p. 12.

[7]) Loening p. 232. cf. etiam 233[35], ubi loci Aristotelici, quibus ebrietatis mentio fit, perlustrantur.

[8]) Verbis supra citatis haec praecedunt: *Si imprudentia reus se peccasse dicet, primum quaeretur, utrum potuerit nescire an non potuerit;*

in *imprudentia* tractanda: *nam qui se propter vinum*, inquit, *aut amorem aut iracundiam fugisse rationem* (Anax. δι' ὧν ἐξιστάμεθα τοῦ λογισμοῦ) *dicit, is animi vitio videbitur nesciisse, non imprudentia.* cf. II 25,39: *item vitiosum est, quod vulgarem habet defensionem hoc modo: iracundia deductus peccavit aut adulescentia aut amore.* Ergo hae nugae reiectae ab auctore ad H. philosophiae non plane imperito in vulgari institutione inde a Gorgiae temporibus haerebant. Atqui Cicero ipse quoque, qui eosdem prope motus animi *(amorem, iracundiam, vinolentiam)* ter[1]) nominat, eos I 27,41, quamquam secus atque Aristoteles (et auctor ad H.) inter τὰ ἀκούσια habet, tamen a *purgatione* secludere videtur: *eius (modi) partes sunt prudentia et imprudentia*[2]). *Prudentiae ratio quaeritur ex iis, quae clam, palam, vi, persuasione fecerit. Imprudentia*[2]) *aut in purgationem confertur, cuius partes sunt inscientia, casus, necessitudo, aut in adfectionem animi, hoc est, molestiam, iracundiam, amorem et cetera, quae in simili genere versantur.* Cf. part. or. 12,43: *quae motu animi . . . facta sine ratione sunt, ea defensiones contra crimen in legitimis iudiciis non habent . . . . .*

Restat, ut reliquos status a Graecis adhibitos investigemus: Consulto adhuc Anax. 89,9 sqq. nondum attuli, tametsi hic quoque *constitutio coniecturalis* (89, 9—11) et *concessio* (90,22 sq.) dilucide deprehenduntur. Sed secunda constitutio, quae 89,11 tractari incipit, non est *iuridicialis absoluta*, sed procul dubio *legitima*, quae apud auctorem ad H. vocatur. Et primum quidem 90,11 sqq. de *contrariis legibus* disseritur, tum de *ambiguis* et ex *scripto et*

---

deinde utrum data sit opera, ut sciretur an non; deinde utrum casu nescierit an culpa. Tota haec praeceptio ad Peripatum spectat (cf. Loening p. 224) et haud scio an cum usu forensi cohaereat.

[1]) I 27,41; II 5,17; II 9,30.

[2]) Animadvertendum est vocabulum *imprudentiae* hic tam late patere. Nam alibi (de inv. II 5,17; II 9,30; part. or. 37,131) Cicero quoque *imprudentiam* in *purgationis* partibus ducit, in quibus nostro loco (et part. or. 12,42) pro illa substituit *inscientiam.* Nec dubito, quin alio loco alium auctorem sequatur. cf. etiam Thiele, p. 40.

sententia[1]). Eandem doctrinam Aristoteles initio capitis I 15 praebet, ubi de legibus disputat. Argute enim et satis copiose primum demonstràt (1375a 27sq.), quae argumenta adhiberi debeant, si *a sententia* dicemus; qua in re omnia fere ad κοινὸν νόμον et τὸ ἐπιεικές referri vult[2]). Deinde (1375b 16) eius profert argumenta, qui *scriptum* defendit. Attamen antea de *contrariis legibus* (1375b 8sq.) et de *ambiguis* (1375b 11sq.) agit, quod cur hoc loco faciat, ita ut disputatio de *scripto et sententia* interrumpatur, est quod miremur. Nonnulla pro *sententia* etiam I 13,1374a 34 et b 11 agitata invenies. Vides igitur Anaximenem et Aristotelem mirum quantum consentire. Et posteriores ipsi quoque tres illas partes constitutionis legitimae agnoverunt, alias adiecerunt[3]). Quid? quod in reliquis scriptis Cicero ab divisione nimis captiosa, qua constitutionem legitimam in libris de inventione persecutus erat, depulsus ad simpliciorem Anaximenis et Aristotelis partitionem rediit[4]).

Separatim haec confero:

Anax. 89,12—14: νόμους, οὓς ἡμεῖς παρεχόμεθα καὶ τοὺς ὁμοίους τούτοις δικαίους καὶ καλοὺς καὶ συμφέροντας . . . πειρατέον ἐπιδεικνύειν.

et Cic. II 49,145: *leges oportet contendere considerando, utra lex ad maiores, hoc est ad utiliores, ad honestiores ac magis necessarias res pertineat.*

Anax. 89,18 sq.: ὑπομίμνησκε τοὺς δικαστάς . . . ὅτι οὐ νῦν νομοθετεῖν προσήκει, ἀλλ' ἐν ταῖς περὶ τούτων κυρίαις ἡμέραις.

et Cic. II 45,134: *non hunc locum esse neque hoc tempus legum corrigendarum* etc.

Cf. etiam: Anax. 90,1—2: ὁ μὲν γὰρ νόμος ἐπὶ τῷ ὠφελεῖν τέθεται, οὗτος δὲ βλάπτει τὴν πόλιν.

et Arist. 1375b 3: καὶ ὅτι τὸ δίκαιόν ἐστιν ἀληθές τε

---

[1]) cf. Spengel in comment. p. 260.

[2]) cf. Hirzel: ἄγραφος νόμος, Abh. d. Sächs. Ges. d. Wiss., phil.-hist. Kl. XX 1900, p. 7 sqq.; Marx: Ber. d. Sächs. Ges. d. Wiss. LII, p. 303 sq.; Wendland p. 60[1]; Mutschmann p. XII. Ceterum de hac re tam intricata iudicium cohibere maluerim.

[3]) Auct. ad H. tres: v. I 11,19 sqq.; II 9,13 sqq.; Cicero duas: cf. I 13,17; II 40,116 sqq.

[4]) cf. Heinicke l. c. p. 32 sq., imprimis p. 40.

καὶ συμφέρον, ἀλλ' οὐ τὸ δοκοῦν, ὥστε οὐ νόμος ὁ γεγραμμένος· οὐ γὰρ ποιεῖ τὸ ἔργον τὸ τοῦ νόμου.

et Cic. II 47,138: *demonstrabit nullam esse legem, quae aliquam rem inutilem aut iniquam fieri velit.*

Denique apud Aristotelem non obscure status *definitivus*[1]) significatur[2]).

Tum eius quoque argumentandi rationis, qua posteriores ad unumquodque argumentum expoliendum utebantur, dico **ratiocinationis**, quae Graece ἐπιχείρημα[3]) dicitur (cf. auct. ad H. II 2,2), rudimenta apud priores exstant. Etenim Spengelius[4]) iam apud Isocratem multa argumenta eo modo fusius tractari ostendit, ut „propositionem“ „ratio“ excipiat, dein „rationis confirmatio“, tum „exemplum vel simile“, postremo „conclusio“ subsequatur. Eodem modo argumentationes expediendas esse auctor ad H. suadet, quippe quas II 18,27 sqq. in *propositionem, rationem, rationis confirmationem, exornationem, complexionem* dirimat. Minus dilucide quamvis more suo multo verbosius Cicero[5]) I 34,57 sqq. de his rebus agit, qui item divisionem in quinque partes tributam ut perfectissimam comprobat, etiamsi nonnullis partibus alia nomina indit. Idem I 35,61 illam quinquepertitam ratiocinationem *omnes ab Aristotele et Theophrasto profectos maxime secutos esse,* timeo ne perperam asseveret[6]). Hoc tamen constat: apud Anaximenem

[1]) v. Cic. I 8,11; (I 13,17); II 17,52 sqq.; (II 51,153 sq.); auct. ad H. I 12,21; II 12,17.

[2]) cf. Spengel ad Arist. I 13,1374a 1 sq., (p. 180). Cum his autem Aristotelis verbis 1374a 4 κλέψαι μὲν ἀλλ' οὐχ ἱεροσυλῆσαι — οὐ γὰρ θεοῦ τι — Thielius p. 165 iure Cic. de inv. I 8,11, Marxius in edit. auct. ad H. p. 109 auctorem quoque ad H. I 12,22 confert (v. etiam anon. Seg. 43,3 sq., ed. Graeven), cum sagaciter exponit: ut ex multis locis sic ex hoc quoque cognosci posse „quanto magis Latinus et Romanus sit scriptor ad H.“ Nempe multo maior concentus inter Ciceronem et Aristotelem quam inter hunc et auctorem ad H. reperitur.

[3]) Volkmann p. 194 sq., Thiele p. 134.

[4]) Abh. d. Bayr. Ak. 1855 p. 739.

[5]) Varias ratiocinationum Ciceroniarum formas diligenter percenset testimoniisque instruit Preiswerkius l. c. p. 97—107.

[6]) Thielius p. 131 sq. cum totam Ciceronis expositionem tum illud dictum nugatorium esse putat.

et Aristotelem si minus totam *argumentationis* (ἐπιχειρήματος) distributionem, at *exornationis*, quae ei subiecta est, quam auctor ad H. II 29,46 in *similia*, *exempla*, *amplificationem*, *res iudicatas* . . . . dividit, aperte deprehendi. Nam Anaximenes 15,1 sqq. unumquodque τῶν τελικῶν κεφαλαίων quae dicuntur ἐξ αὐτῶν τῶν προειρημένων, τῶν ὁμοίων τούτοις, τῶν ἐναντίων αὐτοῖς, τῶν ἤδη κεκριμένων exornandum esse monet. Hanc eandem distributionem Anaximenes p. 29 ad quattuor comparandi rationes accommodare videtur; eandem habet 75,5, ubi addit: δεῖ δὲ καὶ τὰ παραδείγματα ὅμοια φέρειν et 78,12. Nec alia in Aristotele II 25,1402 a 36 sq. exstat, quo loco argumenta dissolvenda esse dicuntur: ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀπὸ τοῦ ἐναντίου, ἀπὸ τοῦ ὁμοίου, ἀπὸ τῶν κεκριμένων. Quibus cum partitionibus non modo *exornationem*, quam auctor ad H. habet, sed etiam *expolitionem*[1] (auct. ad H. IV 43,56) apte comparabimus. Haec enim figura, quae Graece χρεία vertitur, necessitudine quadam cum illa argumentandi ratione consociata est, quod statim ex hac eius descriptione apparebit: *simplex pronuntiatio, duplex pronuntiatio*, *contrarium*, *simile*, *exemplum*, *conclusio*. Atque de *simili* et *exemplo* postea disputandum est, nunc eos tantum locos, ubi Cicero et auctor ad H. de *re iudicata* (κεκριμένον) loquuntur, afferam[2]). cf. praeter II 29,46 auctorem ad H. I 6,9 = Cic. I 17,24; auct. ad H. II 10,14; II 12,18; II 13,19 = Cic. II 22,68; auct. ad H. III 4,7; Cic. I 30,48; part. or. 36,126.

De definitione et partitionibus rhetoricae.[3])

Satis notum est Coracem et Tisiam, deinde sophistas rhetoricam putasse πειθοῦς esse δημιουργόν[4]). Quam senten-

[1]) Volkmann p. 257—58.

[2]) Nam locos, ubi Anaximenes et Aristoteles huius rei mentionem faciunt, Wendlandius p. 60[1] composuit. Addo: Anax. 89,15; Arist. 1416a 29.

[3]) v. copiosissimam Spengelii commentationem, quae inscribitur: „Die Definition und Einteilung der Rhetorik bei den Alten“, Rh. M. XVIII, 1863, p. 481—526.

[4]) cf. Volkmann p. 4 sqq.; Spengel p. 482 sq.; Wendland p. 30[2]; de Isocrate Sheehan l. c. p. 12 sq.

tiam quarto quoque saeculo valuisse et ex Platone[1]) et ex Anaximene[2]) et ex Aristotele[3]) patet. Atque omnino et definitio et finis artis oratoriae apud vetustiores artium scriptores ad persuadendum accomodata erant[4]). Eodem alterius saeculi communis opinio tendebat, tametsi Stoici novam definitionem: ῥητορική ἐστιν ἐπιστήμη τοῦ εὖ λέγειν invenerant. Quod et ex Hermagora, qui in rhetorica describenda prope ad Aristotelem accedit[5]) et ex auctore ad H. et Cicerone facile intellegitur, quorum uterque, etiamsi peculiarem artis descriptionem non praebeat[6]), finem eius in *persuadendo dictione*, officium oratoris in dicendo *apposite ad persuasionem* (Cic. de inv. I 5,6) vel *cum adsensione auditorum* (auct. ad H. I 2,2) ponit.

Porro partitiones quoque nonnullae ad totam rhetoricae materiam pertinentes iam in quarti saeculi arte exstant — quamquam dubium non est, quin illae captiosiores et subtiliores divisiones, quibus inferioris aevi rhetorica abundat, magnam partem e Stoicorum ludo (v. supra p. 7[1]) in vulgarem institutionem subrepserint[7]). Sed ecce eius partitionis, qua quinque illa oratoris officia continentur (cf. auct. ad H. I 2,3; Cic. I 7,9), principia et incunabula fere apud vetustissimos rhetoricae praeceptores apparent, utpote qui inventionem et elocutionem seiunxerint[8]). Plato autem Phaedr.

---

[1]) Gorg. 452 E; (Phaedr. 261 A). cf. Raeder, Platons philosophische Entwicklung, Lipsiae 1905 p. 260—61; 273.

[2]) Volkmann p. 4.

[3]) Volkmann p. 8.

[4]) Sextus Emp. adv. rhet. § 61—2 rhetores et philosophos enumerat inde a Platone usque ad Hermagoram, qui artem oratoriam totam in persuadendo posuerint.

[5]) Volkmann p. 11; Thiele p. 23.

[6]) Definitionem ipsam non sine certis causis omissam esse Spengelius l. c. p. 482 conicit.

[7]) In variis partitionibus novis antiquis adhibendis et conglutinandis auctorem ad H. et Ciceronem saepe confusionem effecisse et librorum compositionem quamvis primo obtutu commodam perdidisse Thielius: Quaestiones de Cornifici et Ciceronis artibus rhetoricis, diss. Gryph. 1889 p. 96 sqq. acute comprobat.

[8]) Spengel p. 485; Volkmann p. 28; Striller p. 34.

236 A. disertis verbis εὕρεσιν et διάθεσιν discernit[1]). Item Anaximenes[2]) quoque εὕρεσιν, λέξιν, τάξιν deinceps tradit, etsi terminis illis non utitur. Res ipsae nimirum iamdiu in usum receptae erant, nomina nondum sollemnia facta. Aristoteles[3]) autem, qui ipse quoque sicut Anaximenes primum *silvam quandam ac materiam universam permixtim et confuse exponit* (Cic. de inv. I 24,34), i. e. inventionem habet, deinde in tertio libro de elocutione non solum accuratius agit, sed etiam nomen λέξεως proponit (cf. III 1,1403b 14, saepius)[4]). Idem eodem loco τὰ περὶ τὴν ὑπόκρισιν (1403b 22) ita commemorat, ut cognoscamus eum primum hoc luculentum oratoris officium rationi accommodasse[5]). Et ne τάξιν quidem reliquit. Non quo negaverim hoc vocabulum, ubicunque in fine secundi et in tertio libro reperitur, non Aristoteli tribuendum, sed ad interpolatorem reiciendum esse, id quod Spengelii, Rabii, Vahleni opera satis explanatum est[6]). At nego, quod quidem Marxius p. 245—6 affirmat, vocem τάξεως idoneam non esse, qua libri III capita 13—19 appellentur[7]).

Apparet ergo omnia fere orationis officia inferiore aetate prolata iam priori nota fuisse, etiamsi nomina ipsa nondum in sollemnis locutionis formam abierant. Ceterum *memoria*, quod quintum oratoris officium recentiores addiderant, a Cicerone in oratore 17,54 (14,43) repudiatur, quia *communis sit multarum artium.*

---

[1]) cf. Striller p. 35.

[2]) Spengel p. 486; Volkmann p. 28.

[3]) Spengel p. 486.

[4]) Nec vero ignoro tertium rhetoricae librum non ab Aristotele ipso cum aliis duobus coniunctum esse. cf. Diels: Über das III. Buch der Aristot. Rhetorik A. A. B. 1886 p. 17 sqq.

[5]) Diels l. c. p. 32.

[6]) Marx p. 255 sq.

[7]) Nec Spengelius p. 486, 492 nec Dielesius p. 16 in posteriore tertii libri parte significanda nomen τάξεως abnuunt. Heinickius autem p. 62 partes orationis omnino sub *dispositione* tractandas esse arbitratur, ut facit Antonius de orat. II, 76,307 sqq. (cf. etiam orat. 15,50), fecit Hermagoras. (Thiele p. 145).

Atque Aristoteles[1]) quidem primus fuisse videtur, qui strenue tria causarum genera (συμβουλευτικόν, δικανικόν, ἐπιδεικτικόν) distingueret[2]). Tamen cave credas eum hanc divisionem primum adhibuisse. Etenim Anaximenes tametsi δύο tantum γένη τῶν πολιτικῶν λόγων (12,14) novit, quibus septem εἴδη supponit, reapse ipse quoque illa genera habet, binis εἴδεσιν (praeter τὸ ἐξεταστικόν) in singula genera contractis. Posteriores autem omnes fere[3]) aut totam rhetoricae materiam ut auctor ad H. I, 2,2, Cicero de inv. I 5,7 aut causas finitas (ὑποθέσεις), *quae habent in se controversiam in dicendo positam cum personarum certarum interpositione* (Cic. I, 6,8), ut Tullius in reliquis libris rhetoricis[4]), in tria genera dispertiverunt. Constat igitur hanc doctrinam ab Hermagora reiectam[5]) etiam postea stetisse.

Denique quas orationis partes singuli scriptores statuerint, enodandum est. In quo brevem esse mihi licet, siquidem docti viri de hac re satis multa protulerunt[6]). Et Isocrates quidem eiusque asseclae quattuor orationis partes distinxerant[7]): cui normae Aristoteles et Theodectes sese addicebant. Anaximenes[8]) autem quinque partes praebet: προ-

[1]) Olim sola εἴδη agnoscebantur. Veluti in Diogenis L. divisione 15 ἡ ῥητορεία in sex species, in codice Marciano [17], in quo προτροπή et ἀποτροπή in unum (τὸ συμβουλευτικόν) contrahuntur, in quinque digeritur. cf. Mutschmann p. XIII, 19—21.

[2]) Aliter Marx p. 322[1].

[3]) Volkmann p. 21.

[4]) Heinicke p. 17 sqq.; Merchant p. 49.

[5]) Thiele p. 45 sq.

[6]) cf. Spengel p. 507—11; Volkmann p. 123 sq.; 296 sq.; 319 sq.; Striller p. 42 sq.; Wendland p. 37 sq.; Marx p. 317 sq.; de Isocrate cf. etiam Sheehan p. 26 sq.; de Cicerone Heinicke p. 62 sq.; Merchant p. 29.

[7]) Verum Isocrates in orationibus ipsis bis non tecte προκατάληψιν usurpat. cf. or. XXI 16—18 (19) et Aeginet. 42—46, quae oratio admodum a communi disponendi schemate abhorret (cf. Blass, A. B. II[2] 192). Accedit quod in laudationibus epilogum aspernatur. cf. Panath. 266, Wendland 38.

[8]) Sed in genere demonstrativo, ut ipsa rerum natura postulabat, confutatione plane supersedit, narrationem et confirmationem coniungit et confundit.

οἴμιον, ἀπαγγελίαν, βεβαίωσιν, τὰ πρὸς τὸν ἀντίδικον sive προκατάληψιν, ἐπίλογον sive παλιλλογίαν. Quas partes Cicero in libris de inv. et auctor ad H. retinent, nisi quod sextam post narrationem collocandam, cui nomen est *divisionis* vel *partitionis* adnexerunt. Nec tamen Tullius in hac sententia perseveravit, sed saepius eam mutavit idque ita „ut novam quamque distributionem superiore simpliciorem et accuratiorem esse vellet paulatimque se ad rationem Aristoteleam (malim Isocrateam) revocaret“ [1]). Namque in novissimis libris quattuor tantum orationis partes enumerat. cf. orat. 35,122; part. or. 1,4; 8,27; top. 26,97—98.

Addendum est Latinos in ea re ab Anaximene dissidere, quod hic confutationem et confirmationem non modo segregat (sc. in genere delib. et iudic.), sed etiam varia et distincta utriusque partis praecepta porrigit, cum Cicero, quocum auctor ad H. congruit, has duas partes, quatenus in enumeratione separat, in tractatione sane ipsa inter sese misceat, qua ab norma tamen in priore Rhetoricorum libro discrepat [2]).

Nunc quaestionibus, quae ad totam rhetoricae divisionem spectant profligatis — et debebant profligari, tametsi haud ignoro me non multum novi de iis enucleavisse —, tandem ad singula adgrediamur. Ac primum quidem examinare mihi proposui, quid diversi scriptores de singulis orationis partibus disputaverint. Qua in re rationem dispositionis ab Aristotele sumpsi, qui primum προοίμιον quid in singulis generibus valeat, demonstrat, deinde quid διήγησις, tum quid πίστεις et ἐπίλογος. Contra Anaximenes, auctor ad H., Cicero vulgarem consuetudinem sequi videntur, cum deinceps tria illa genera proponunt et in unoquoque diversas orationis partes pertractant.

De prooemio.

Statim in ipsa prooemii definitione diversi scriptores haud ita distant. cf. Anax. 65,12—13: ἔστι δὲ προοίμιον . . .

---

[1]) Merchant p. 29.

[2]) v. Heinicke p. 79.

ἀκροατῶν παρασκευή (cf. 99,22); Cic. I 15,20: *exordium est oratio animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem*; auct. ad H. I 3,4: *exordium est principium orationis, per quod animus auditoris constituitur ad audiendum* (simil. I 4,6). Recte autem Thielius[1]) conicit: „consensum illum inter *comparare* et *constituere* ad Graecum vocabulum παρασκευάζειν referendum esse.“ Idem vir doctus Ciceronem arbitratur illam definitionem, quae exstat in Rufi excerptis (Rh. Gr. I 399,16 Sp.-H.): προοίμιόν ἐστι λόγος παρασκευάζων τὸν ἀκροατὴν εἰς τὴν ὑποκειμένην ὑπόθεσιν ἐπιτήδειον vertisse. Hoc etsi fortasse verum est, velim attendas omnes paene prooemii descriptiones Graecas inter se simillimas esse, quippe quae omnes verba παρασκευάζειν τὸν ἀκροατήν contineant. cf. e. g. anon. Seg. 2,1 (et ad hunc locum Graeven p. XXXIX); 3,3; 9,8; 23,17 et Dionys. Hal. de Lys. 28,17 (cf. 35,13) Us.-R.

Quod vero Thielius quaest. p. 4 apud auctorem ad H. non modo hanc communem Isocrateorum ut opinatur definitionem exstare monet, sed in vv.: *exordium est principium orationis* aliam sc. Aristoteleam reconditam esse putat, quae est: προοίμιόν ἐστιν ἀρχὴ λόγου (1414b19; cf. 15a15), ita ut colligendum sit, „apud Cornificium duas contrarias opiniones a posteriore quodam rhetore falso in unum conflatas exstare“, nescio an vir doctus auctoris ad H. verba iusto argutius interpretatus sit[2]).

---

[1]) quaestiones p. 3.

[2]) Quamquam certum est Aristotelem de prooemii officio non eandem sententiam habuisse quam rhetores tradere solebant. Et III 13 quidem, quo capite in vulgaris institutionis nugas quas existimat invehitur, orationi duas partes sc. πρόθεσιν et πίστιν necessarias esse ait (1414a 31 sq., b7; cf. 1404a6). Sed postea cc. 14 sqq. ab hac doctrina philosophica et dialectica discedens quamvis invitus ad vulgarem disciplinam revertitur, quo fit, ut tota libelli περὶ τάξεως explicatio parum sibi constans et consequens evadat (Marx p. 257—8; Wendland p. 35, 38; cf. etiam Loening p. 75). Quod quidem ilico in prooemii tractatione cernitur. Ex locis enim modo citatis coniectare debemus philosophum hanc orationis partem supervacaneam iudicasse. Nihilo secius in ipso capite III 13 prooemium plerumque adhibendum esse concedit (1414 b 8),

Sed transeamus ad oratoris munera in exordio praestanda. E quibus Anaximenes p. 65 haec tria habet: προεκτιθέναι vel φανερὸν ποιεῖν (δήλωσις), ἐπὶ τὸ προσέχειν παρακαλέσαι, εὔνουν ποιῆσαι. Eadem praecepta etiam ex Arist. III 14, 1415a34 sq. elicere possumus, quamquam in toto hoc capite

---

Porro III 14; 1414b22 exordium vel in genere epidictico poscit, deinde 1415a8 sqq., quae sit eius utilitas in genere iudiciali exponit. Contra quod 1415b33 sq. asseverat orationem deliberativam, quoniam res, qua de re agatur, nota sit, prooemii non indigere nisi ἢ δι' αὐτὸν ἢ τοὺς ἀντιδίκους, hoc sane cum 1414b2 consentit. — Nec minorem admirationem nobis movet, quod Aristoteles III 13, 1414b8 dicit: τὰ δὲ πλεῖστα (μόρια τοῦ λόγου), προοίμιον, πρόθεσις, πίστις, ἐπίλογος. Hic enim propositionem non solum tamquam propriam orationis partem a prooemio separat, sed etiam διηγήσεως, qua omnino supersedit, locum obtinere iubet. Quae omnia rursus ad philosophiam spectare censeo. Duabus scilicet illis orationis partibus, quas necessarias ducit philosophus, προθέσει et ἀποδείξει, duas alias ad ornandum potius quam ad demonstrandum idoneas adiungit. Nec igitur Volkmanni sententia stare potest, qui p. 123 e nostro loco concludit Aristotelis aetate hanc quadripartitionem vulgatam fuisse („Man stellte indes, wie er selbst sagt (1414b8), schon zu seiner Zeit gewöhnlich als Teile auf: προοίμιον, πρόθεσις, πίστις, ἐπίλογος"). Nam huic interpretationi nec ipsa Aristotelis verba favent nec alibi talia accepimus. Ceterum Quintilianus recte III 9,5: *Hoc quoque*, ait, *idem* (Arist.) *aliquatenus novat, quod prooemio non narrationem subiungit sed propositionem.* Quod eum ideo fecisse arbitratur Fabius, *quia propositio ei genus, narratio species videtur, et hoc non semper, illa semper et ubique credit opus esse.* Quae explicatio, ut est sagax, ad veritatem, puto, prope accedit. Quid? quod Stagirita nova doctrina sua, quam praebet III 13, plane oblitterata in sequentibus capitibus διήγησιν et inducit et pertractat, πρόθεσιν autem non iam inter τὰ μόρια τοῦ λόγου numerat, sed pro maxime necessaria prooemii parte habet?! Etenim προοίμιον 1415a12 existimat δεῖγμα τοῦ λόγου, ἵνα προειδῶσι περὶ οὗ ᾖ ὁ λόγος etc. et pergit a22: τὸ μὲν οὖν ἀναγκαιότατον ἔργον τοῦ προοιμίου καὶ ἴδιον τοῦτο, δηλῶσαι τί ἐστιν τὸ τέλος οὗ ἕνεκα ὁ λόγος. cf. etiam 1415b8: δεῖ . . . τὸ πρᾶγμα εἰπεῖν κεφαλαιωδῶς et 1419b30: ἐκεῖ (in exordio) μὲν οὖν δεῖ τὸ πρᾶγμα εἰπεῖν, ἵνα μὴ λανθάνῃ etc. Nonne in promptu est his verbis πρόθεσιν indicari, quamquam Aristoteles hunc terminum ipsum fugit? Quod quidem luce tibi clarius videbitur, cum III 13 comparaveris, ubi πρόθεσις iisdem fere verbis definitur 1414a31: ἀναγκαῖον γὰρ τό τε πρᾶγμα εἰπεῖν περὶ οὗ . . . . et 1414b7: ἀναγκαῖα ἄρα μόρια πρόθεσις καὶ πίστις· ἴδια μὲν οὖν ταῦτα . . . — Sed nescio an inter πρόθεσιν, quam Aristoteles III 13 postulat, infra omnino praetermittit, et illam propositionem, quam eum reapse in pro-

et praecipue hoc quem respicimus loco sententiarum conexum turbatum et admodum multa corrupta esse Marxius p. 318 sq. non sine iure affirmat. Nec tamen tacendum est[1]) multas expositiones Aristotelicas, quae quin mancae sint dubitari nequit, eo explicari oportere, quod philosophus vulgarem doctrinam satis notam pluribus explanare noluit[2]). Eaedem tres prooemii virtutes apud anonymum quoque Seg. § 9 sqq. (p. 3 sqq. G.) et in Dionysio Hal. de Lys. cc. 17 et 24 enumerantur et latius describuntur. Quae cum ita sint, non habemus, quod miremur etiam apud Latinos has tres exordii partes legi. Iubent enim (Cic. I 16,23 sq.; auct. ad H. I 4,7) audientes: *dociles, attentos, benivolos* reddere[3]). Nec in reliquis libris Tullius haec tria detraxit, sed in omnibus tangit, etsi non semper eadem ratione exprimuntur[4]).

Iam vero de vario ordine, quem diversi scriptores in prooemii officiis vel enumerandis vel pertractandis ipsi sequuntur, disertis disputare verbis longum est atque inutile vide-

oemio adhibere diximus, etiamsi προθέσεως nomine non utatur, hoc differat, quod πρόθεσις III 13, quae πίστει anteit, nil aliud est nisi προβλήματος (III 13; 1414 a 36) expositio (im engeren Sinne von Themastellung, Volkmann p. 124), τῆς ἀποδείξεως ἀρχή, ut dicit anonymus Seg. § 160 = p. 30,15 G. (cf. Hermagorae κρινόμενον), cum πρόθεσις, prooemii pars, magis ad ὑποθέσεως speciem i. e. ad argumenti compendium accedere videatur (cf. imprimis 1415 a 8 sq.). At hanc distinctionem, si modo adhibere voluit Aristoteles, certe non satis clare et perspicue signavit. Ergo nos quoque e nonnullis exemplis cognovimus Stagiritam aliis locis eiusdem libri alia secumque pugnantia proferre. Ac fortasse operae erit pretium exquisitius perscrutari, ubinam, qua de causa, quemadmodum Aristoteles cum in aliis scriptis tum in rhetorica a disserendi elegantia discrepet.

1) Wendland p. 40.

2) Dielesius autem, A. A. B. 1886, p. 16 de hac controversia sic iudicat: „Man darf annehmen, dass er manche Dinge in unserer Rhetorik nur deshalb kurz und andeutend behandelt hat, weil sie in der προέκδοσις (sc. in arte Theodectea) bereits eine genügende Darstellung gefunden hatten".

3) Latini in hac re propius ad Aristotelem accedunt quam ad Anaximenem, quod hanc disciplinam in genere solo iudiciali tradunt.

4) de orat. I 18,26; II 19,80; top. 26,97; orat. 35,122; part. or. 8,28, cf. Heinicke p. 70.

tur. At quem ordinem in tribus exordii partibus disponendis lectores suos sequi velint, hoc animadversione dignum est. Praecipit autem Anaximenes 70,21 sqq. in honesta causa, cum audientes nobis faveant, principium orationis a propositione sumere, ceteras partes (προσοχήν, εὔνοιαν) postea proferre. Rursus in turpi causa primum benevolentiam conciliare suadet, tum demum ad πρόθεσιν et προσοχήν transire. En auctor ad H. I 4,7—5,8 et Cicero I 16,22 sq. non leviter cum Anaximene conspirant, cum ipsi quoque modo hanc modo illam prooemii partem praevalere velint, prout diversa causae genera[1]) flagitant, et in causa quidem criminationibus oppressa a benevolentiae captatione exordiri iubeant.

Docilitatem ipsam Anaximenes 65,13 sic definit: τοῦ πράγματος ἐν κεφαλαίῳ μὴ εἰδόσι δήλωσις, ἵνα γιγνώσκωσι, περὶ ὧν ὁ λόγος, παρακολουθῶσί τε τῇ ὑποθέσει. Cf. 66,1 (85,4): τὸ φράζειν ἐν κεφαλαίῳ τὸ πρᾶγμα. In hac Anaximenis definitione vix verbum invenitur, quod non locis Aristoteleïs partim iam p. 24 adn. exscriptis occurrat. cf. 1414 a 31: ἀναγκαῖον γὰρ τό τε πρᾶγμα εἰπεῖν περὶ οὗ; 1415 a 12: προοίμιον . . . . . δεῖγμά ἐστιν τοῦ λόγου, ἵνα προειδῶσι περὶ οὗ ᾖ ὁ λόγος; a 14: is qui praefatur ποιεῖ ἐχόμενον ἀκολουθεῖν[2]) τῷ λόγῳ; a 22: τὸ μὲν οὖν ἀναγκαιότατον ἔργον τοῦ προοιμίου . . . . δηλῶσαι τί ἐστι τὸ τέλος οὗ ἕνεκα ὁ λόγος; b 7: δεῖ τὸ πρᾶγμα εἰπεῖν κεφαλαιωδῶς; 1419 b 30: ἐκεῖ (in prooemio) μὲν οὖν δεῖ τὸ πρᾶγμα εἰπεῖν, ἵνα μὴ λανθάνῃ, περὶ οὗ ᾖ ἡ κρίσις . . . . . Hi loci et inter se et illis Anaximenis simillimi videlicet ad πρόθεσιν quadrant (cf. supra p. 24 adn.). Et Anaximenes quidem cum 65,21 ad primam principii virtutem tractandam se vertit, vocabulo προεκτιθέναι utitur[3]). Reliqui autem auctores Graeci: Aristo-

---

[1]) cf. infra p. 40—41.

[2]) cf. Isocr. XV 56; Aesch. I 116: παρακολουθεῖν εὐμαθῶς.

[3]) cf. 80,2; 85,4. Sed his locis et alibi ut 70,23 et 92, 2 (cf. Spengelii notam p. 263) πρόθεσις tantum et προτιθέναι exstant. Estne fortasse etiam 65,21 προτιθέναι corrigendum? Cf. 74,9, ubi ἐπενθυμήματα pro ἐνθυμήματα in textum inrepsit (Spengel p. 221). Nempe tales corruptelae falsario vel scribae neglegenti vindicandae sunt, qui haec voca-

teles, Dionysius Hal., anonymus Seg. primum exordii officium εὐμάθειαν appellare solent, cui anonymus Seg. tres partes subicit, quarum primam non solum προέκθεσιν vocat, sed etiam hoc modo definit § 11 (p. 3,8 G.): προέκθεσις μέν ἐστιν, ὅταν δ' μέλλει τις λέγειν ὡς ἐν κεφαλαίῳ προεκθῆται, post quae verba fortasse praecedentia: εἰδότες γὰρ οἱ ἀκούοντες, περὶ ὧν οἱ λόγοι, εὐμαθέστεροι γενήσονται inserenda sunt[1]). Quo facto similitudo inter anonymum Seg. et Aristotelem Anaximenemque eo magis apparebit. Nec alia Dionysius de Lys. 35,14 (cf. 28,17) Us.-R. suppeditat: καὶ μὴν εἴς γε τὸ εὐμαθεῖς τοὺς ἀκροατὰς ποιῆσαι κελεύουσι συστρέψαντας (h. e. idem quod ἐν κεφαλαίῳ) εἰπεῖν τὸ πρᾶγμα, ἵνα μὴ ἀγνοῶσι τὴν ὑπόθεσιν οἱ δικασταί . . . . . . καὶ τὸ προοίμιον ὑποτίθεσθαι ἀπ' ἀρχῆς καὶ δεῖγμα τοῦ πράγματος ποιουμένους etc. Nec Romani scriptores in *docilitate* explicanda discrepant. cf. anon. ad H. I 4,7: dociles auditores habere poterimus, si summam causae breviter exponemus. Aeque Cic. de inv. I 16,23 cf. de orat. I 48,209: part. or. 8,29.

Sequitur, ut diligentius investigemus, quidnam singuli auctores sub voce εὐμαθείας comprehenderint, quid de propositione iudicaverint quemque ei locum attribuerint, postremo quae rationes inter πρόθεσιν et διαίρεσιν (sive μερισμόν) in prooemio et alibi collocatas intercedant. Nam omnes hae quaestiunculae artissime inter se cohaerent.

Atque apud Aristotelem in eo offendimus, quod ille πρόθεσιν et εὐμάθειαν non pro iisdem habere, sed propositionem omnino a tribus exordii praeceptis rhetoribus probatis seiungere videtur. Quod imprimis hoc loco iterum philosophiam redolente (cf. Marx p. 258) colligi potest 1415b 4 sq.: δεῖ δὲ μὴ λανθάνειν ὅτι πάντα ἔξω τοῦ λόγου τὰ τοιαῦτα (sc. tria prooemii praecepta). πρὸς φαῦλον γὰρ ἀκροατὴν καὶ τὰ ἔξω τοῦ πράγματος ἀκούοντα, ἐπεὶ ἂν μὴ τοιοῦτος ᾖ, οὐθὲν δεῖ προοιμίου, ἀλλ' ἢ ὅσον τὸ πρᾶγμα εἰπεῖν κεφαλαιωδῶς. Verbis enim

bula rhetorica suis temporibus usitata substituit (cf. Wendland p. 28[1]). Constat tamen bis composita ne quarto quidem saeculo omnino ignota fuisse. cf. e. g. ἐπεξέλεγχος Plat. Phaedr. 267 A; Arist. III 13,1415b 15.

[1]) Graeven p. 3 adn.

postremis, quia aperte πρόθεσις significatur (cf. supra p. 24 et 26) Aristotelem propositionem et docilitatem discrevisse pro certo statuerem, nisi omnino εὐμάθεια quid apud illum valeret perdifficile esset diiudicare. Nam unus locus, ubi εὐμάθεια proponitur, 1415 a 37 procul dubio corruptus est (cf. infra p. 34). Nec alter locus [1]), ubi docilitas attingitur, nos iuvat, quia ne hic quidem (1419 b 30) de Aristotelis ipsius sententia quicquam comperimus. Praeterea memorabile est Aristotelem 1415 a 34: τὰ δὲ πρὸς τὸν ἀκροατὴν ἔκ τε τοῦ εὔνουν ποιῆσαι καὶ ἐκ τοῦ ὀργίσαι καὶ ἐνίοτε τὸ προσεκτικὸν [ἢ τοὐναντίον] [2]), εὐμάθειαν non afferre inter vulgaria prooemii officia ad audientes pertinentia. Accedit quod apud alios ad unum omnes aut idem efficiunt εὐμάθεια et πρόθεσις aut certe sub eandem speciem cadunt ut apud anonymum Seg. § 10 (p. 3,7 sqq. G.). Quocirca in medio relinquam, an revera philosophus suo Marte εὐμαθείας vim, cum πρόθεσιν ab ea secluderet, in angustius contraxerit, ea nimirum mente, ut sibi liceret omnia prooemii munera a rhetoribus statuta ut prava et ridicula repellere.

Venimus nunc ad Dionysium Hal. Qui ipse sicut Aristoteles πρόθεσιν, qua certe ad docilitatem comparandam utitur (cf. supra p. 27) reliquo prooemio aliquo modo opponere videtur. Etenim hoc absoluto demum ἐπὶ τὴν πρόθεσιν ἐπείγεσθαι (Lysiam) dicit p. 28,15 et pergit 28,18: καὶ ἔστι μεθόριον αὐτῷ ἑκατέρας τῶν ἰδεῶν (prooemii et narrationis) ὡς

---

[1]) 1419 b 30: τοῦτο δὲ ἁρμόττει ποιεῖν οὕτως, ὥσπερ φασὶν ἐν τοῖς προοιμίοις, οὐκ ὀρθῶς λέγοντες· ἵνα γὰρ εὐμαθὴς ᾖ, κελεύουσι πολλάκις εἰπεῖν. Philosophus igitur rhetores suae aetatis — in parte saltem — εὐμάθειαν in repetitione vel *frequentatione* (hoc vocabulum terminus est; cf. Cic. part. or. 35,122; auctor ad H. IV 40,52) posuisse perhibet. Similia quantum scio alias non accepimus, nisi forte quis anonymum Seg. laudaverit, quippe in quo altera de tribus εὐμαθείας partibus ἀνανέωσις sit. Verum anonymus ipse hanc ἀνανέωσιν initio orationis (ἐν ἀρχῇ τοῦ λόγου) sedem non habere contendit, ita ut omnino admiratione dignum sit eum huius partis, quae non mediocriter cum Anaximenis παλιλλογίᾳ (p. 56,7 sqq.) concinit, in εὐμαθείας quae p. 3,6 sq. ad exordium refertur explicatione mentionem facere.

[2]) delet Marxius p. 319.

τὰ πολλὰ ἡ πρόθεσις, ἤδη δέ ποτε καὶ ἀπὸ μόνης ταύτης ἤρξατο. Quo cum loco comparare debemus anonymi Seg. locum simillimum § 166—67 (p. 31,7 sq. G.): τότε δὲ προοιμίου τάξιν ἔχει (ἡ πρόθεσις) τὸν ἀκροατὴν ἐπιστρέφουσα καὶ τίθεται πρὸ τῶν διηγήσεων· § 167: λαμβάνεται δὲ ἡ πρόθεσις καὶ ἐν ἀρχῇ. Ad quae verba explicanda Graevenus recte adnotat: „Neocles ergo a propositione, quae . . . . inter proprium prooemium et narrationem interponeretur (§ 166), eam propositionem distinxit, quae initio totius orationis poneretur (§ 167) sive proprium prooemium eam sequeretur sive oratio hoc careret.“ Atque Dionysii et anonymi Seg. consensu hanc doctrinam Isocrateam esse probatur. Praeterea anonymus Seg., cum § 160 sqq. (p. 30,15 G.) de varia προθέσεως collocatione Neoclem secutus disserit, § 163 πρόθεσιν insuper agnoscit quae est τῆς ἀποδείξεως ἀρχή, ita ut omnino tres sane sedes ei assignaverit. Attamen nec anonymus Seg. nec Dionysius Hal. πρόθεσιν praeter prooemium in specialibus orationis partibus duxisse existimandi sunt.

Cum propositione omnes fere rhetores, ut res ipsa fert, διαίρεσιν quandam vel μερισμόν consociant, quamvis recentiores demum his nominibus ipsis utantur. Ut anonymus Seg. praeter προέκθεσιν (cf. p. 27) et ἀνανέωσιν (cf. p. 28[1]) docilitati etiam μερισμόν supponit, quam partem hac ratione describit § 13 (3,17 G.): μερισμὸς δέ ἐστιν εἰς μέρη περιγραφὴ τῶν ὅλων πράξεων. Atqui huiusmodi divisionem Dionysium quoque Hal. p. 35,14 ad εὐμάθειαν trahere statuo[1]), cum dicit: καὶ μὴν εἴς γε τὸ εὐμαθεῖς τοὺς ἀκροατὰς ποιῆσαι κελεύουσι (οἱ τεχνογράφοι sc. Isocratei) συστρέψαντας εἰπεῖν τὸ πρᾶγμα . . . . καὶ οἷάπερ ἂν ᾖ τὰ μέλλοντα λέγεσθαι, τοιοῦτο καὶ τὸ προοίμιον ὑποτίθεσθαι ἀπ' ἀρχῆς . . . . Ex his igitur verbis Isocrateos εὐμαθείᾳ duas partes: πρόθεσιν et μερισμόν subnexisse concluserim.

---

[1]) cf. 28,15: πρόθεσις . . ., δι' ἧς τὰ μέλλοντα ἐν ταῖς ἀποδείξεσι λέγεσθαι προειπὼν καὶ τὸν ἀκροατὴν παρασκευάσας εὐμαθῆ . . . . ἐπὶ τὴν διήγησιν καθίσταται. Liquet Dionysium hoc loco idem fere dicere atque 35,15, sed εὐμάθειαν et πρόθεσιν invertere, qua ipsa re quam angusta sit necessitudo inter has ambas efficitur.

Sed apud Anaximenem quoque aperta talis divisionis vestigia cernuntur, dummodo haec eius verba in appendice p. 99,19 posita recte interpreter: πρῶτον μὲν οὖν διελέσθαι χρὴ τὰ πράγματα κατὰ τὴν ὅλην τοῦ παιδεύματος διαίρεσιν, ὅ,τι πρῶτον ἢ δεύτερον ἢ τρίτον ἢ τέταρτον μεταχειριστέον, εἶτα σαυτοῦ ποιεῖσθαι παρασκευήν, ὥσπερ ἐν τοῖς προοιμίοις διήλθομεν τὰ περὶ τῶν ἀκροατῶν[1]). In sequentibus statim de audientium praeparatione agit, quam benevolentia et attentione captanda fieri docet. Censeo autem scriptorem hoc loco satis notabili primum prooemii officium statuere, ut causam divisione quadam exponamus. Deinde διαιρέσεως vestigia Spengelio iudice 92,2 exstant: ἃ δὲ δοξάζειν (τῶν κατηγορουμένων τοὺς ἀκούοντας ἐποίησεν), ταῦτα προθέμενοι μετὰ τὸ προοίμιον διαλύσομεν, ad quem locum vir ille acutissimus p. 263 adnotat: „non πρόθεσις exordii intellegitur qua noster ut auditores dociles faciamus praecipit; sed quae exordium sequitur, μετὰ τὸ προοίμιον, id est narratio vel divisio requiritur“, et comparat 98,10: φροιμιασάμενοι . . . . ἐφεξῆς ἕκαστον προτιθέμενοι . . . . ἐξετάσομεν. Pariter Anaximenes 80,11 sq. in genere demonstrativo διαίρεσιν, quae προθέσεως munere fungitur, si minus ad primam exordii virtutem (sc. docilitatem) refert, at certe prooemio ipsi adnectere videtur. Nam quamquam Wendlandius, vir doctissimus, p. 55 Anaximenem dedita opera integrum relinquere opinatur, utrum διαίρεσις tacite laudationi subicere oporteat, an palam claris verbis ante narrationem usurpare, equidem hoc pro certo habuerim, quia non solum loci illi modo allegati tale quid (sc. oratori partitionem aperte significandam esse) ut suspicemur, suadent, sed etiam ea ipsa quae p. 80,20 legimus: ταῦτα (τὴν διαίρεσιν) δὴ διαλογισάμενοι μετὰ τὰ προοίμια[2]), πρῶτον τὴν γενεαλογίαν τάξομεν. Hoc enim verbo διαλογίζεσθαι scriptor 56,11 unam de παλλιλογίας formis appellat. Quare Anaximenes p. 80 prae-

[1]) Hanc eandem dictionem crebrius apud Aristotelem legimus e.g. 1404a 11; 15a 2,34; b 5 (cf. 1354a 16, Marx p. 319).

[2]) Sic interpungendum est, si interpungimus. (cf. 92,2, supra). Falso de hac re Ipfelkoferus disputat: die Rhetorik des Anax., diss. phil. Wirzb., 1889 p. 49.

scribere videtur, ut διαίρεσις quaedam tamquam prooemii finis cum prooemio contexatur. Nam ut probabile non est Dionysium Hal. et anonymum Seg. πρόθεσιν inter partes orationis numerasse, ita ne Anaximenes quidem διαίρεσιν in illis habuisse putandus est.

Huiusmodi denique διαιρέσεις, quae simul πρόθεσιν (εὐμάθειαν) praestant, crebrae sunt apud oratores Atticos. cf. e. g. Aesch. I 8: πρῶτον μὲν γὰρ διέξειμι πρὸς ὑμᾶς τοὺς νόμους . . . . ἔπειτα δεύτερον . . . . τρίτον δ' ἐφεξῆς . . . . οὕτω γὰρ ἄν μοι μάλιστα λαμβάνω τοὺς λόγους εὐμαθεῖς γενέσθαι.

Nec talis propositionis et divisionis coniunctio apud Romanos non invenitur. Nam *divisio* vel *partitio*, quae apud Ciceronem I 22,31—23,33 et auctorem ad H. I 10,17 (cf. I 3,4; IV 40,52) tertia est orationis pars, revera haec duo complectitur membra. Praeterea autem non solum propositionem, sed etiam divisionem a Romanis quoque in prooemio tradi postea demonstrabimus.

Atque alteram *divisionis* speciem propositionis loco habendam esse, ex hac eius descriptione: *una pars est, quae quid cum adversariis conveniat et quid in controversia relinquatur, ostendit*[1]), iam Volkmannus p. 173 et Heinickius[2]) p. 78 recte collegerunt. Quamquam non dubitandum est, quin haec propositio quam diximus, qua controversia quae sit proponitur, ad iudicationem (τὸ κρινόμενον) pertineat, quam Hermagoras una cum statibus adhibuit[3]). Cum hac autem parte ex Temnitae copiis sumpta apud Romanos contaminatur[4]) — idque non plane inconcinne mea quidem

---

[1]) Cic. de inv. I 22,31; idem fere auct. ad H. l.c. praebet; cf. de orat. II 80,331.

[2]) Hic vir doctus praeterea iure contra Volkmannum monet Ciceronem non semel propositionem attigisse, etsi vocabulo substantivo „propositionis" non utitur. cf. praecipue de orat. II 19,80.

[3]) cf. Thiele, Hermagoras p. 67 sqq; 123.

[4]) cf. Thiele p. 123. Hoc cum per se perspicuum sit, etiam ex auct. ad H. IV 40,52 efficitur, ubi rhetor figuram *divisionis* ab orationis parte, cui idem est nomen, disiungens in hac describenda: *dividit* (orationis pars) *per enumerationem aut per expositionem, quibus de rebus . . . disputatio erit*, ne uno quidem verbo *iudicationem* commemorat.

sententia [1]) — altera *divisionis* species, sc. *distributio*, ex qua videlicet tota haec orationis pars nomen accepit. Namque hanc *distributionem* ab Hermagora abiudicandam et potius ad antiquam Atticorum doctrinam reiciendam esse Thielius vel ex eo concludit, quod tres illas praestantias: *brevitatem, absolutionem, paucitatem*, quas Cicero I 22,32 ad *distributionem* accommodat nec auctor ad H. omnino non agnoscit [2]), instar trium prooemii et narrationis virtutum antiquitus traditarum effictas esse appareat.

Hoc igitur sane apertum est propositionem et partitionem apud Romanos quoque coniunctas exstare [3]). Vix minus apertum est *partitionis* praecepta in prooemio repeti. Nam propositio quam nuncupavimus, i. e. Hermagorae iudicatio a Cicerone et distinctis verbis sub *attentionis* praeceptis I 16,23: *exponemus iudicationem aut iudicationes si plures erunt* [4]) et sub *docilitatis* I 15,21: *dociles auditores faciemus, si aperte et breviter summam causae exponemus, hoc est, in quo consistat controversia* traditur. Apparet igitur — quod iam vidimus saepiusque videbimus — etiam in hac re Latinum scriptorem id spectasse, ut antiquam disciplinam Atticam cum nova Hermagorae copularet. Quae tamen copulatio hic minus placet. Nam aliud est *aperta* illa *et brevis summae causae expositio* aliud *iudicatio, in qua consistat controversia*, cum illa ὑπόθεσιν quandam i. e. causae compendium, haec autem veram et propriam πρόθεσιν (Themastellung, Volkmann p. 173) efficit [5]). Atque auctor quidem ad H. I 4,7 Ciceronis vitium evitat, cum docilitatem summa tantum causae exponenda contineri dicit, de iudicatione tacet.

---

[1]) cf. Volkmann p. 173; Heinicke p. 78. Aliter Thielius p. 123 iudicare videtur.

[2]) cf. Thiele, quaest. p. 92.

[3]) Quintilianus quoque eas quodam modo coniungit, cf. IV 5,26. (Volkmann p. 174).

[4]) cf. I 15,21: in ancipite causae genere interdum *ab ipsa iudicatione exordiendum est.*

[5]) Huius discriminis initia ad Aristotelem ipsum referre studuimus (supra p. 25 adn).

Iam vero altera quoque *divisionis* species, i. e. *distributio* ad prooemium accedit, quia non solum *expositionis*, quae apud auctorem ad H. I 10,17 *distributioni* subest[1]), definitio: *expositio est, cum res, quibus de rebus dicturi sumus, exponimus breviter et absolute*, mirifice cum his auctoris ad H. verbis ad exordium spectantibus concinit I 4,6: *si honestum genus causae erit, . . . oportebit . . . . breviter, quibus de rebus dicturi simus exponere*, sed etiam *enumeratio*, altera *distributionis* pars, in prooemio locum habet, cf. auct. ad H. I 10,17: *enumeratione utemur, cum dicemus numero, quot de rebus dicturi sumus* et I 4,7[2]): *attentos habebimus, si numero exponemus res, quibus de rebus dicturi sumus.* Gravissimus autem est hic partitionum orat. locus 8,29 (cf. 27,97): *Sed facillime discit auditor et quid agatur intellegit, si complectare in principio genus naturamque causae si definias, si dividas, si neque prudentiam eius impedias confusione partium nec memoriam multitudine. Definitionem* enim et *divisionem*, quas Cicero hic ad *docilitatem* conciliandam commendat, paene easdem esse atque *expositionem* et *enumerationem* iam Kayserus p. 226 adnotavit. Adiciendum est vocibus: *si neque . . . . partium* illam *paucitatem* i. e. veritatem logicam[3]), ut ita dicam, vo-

[1]) Auctor ad H. *distribuenti* aut *expositione* aut *enumeratione* utendum esse statuit. Cf. Cic. de orat. II 19,80: *post autem* (i. e. post narrationem) *dividere causam aut proponere.* Ac profecto auctoris ad H. expositio a vera quadam propositione vix diversa est.

[2]) cf. Cic. I 16,23: *attentos faciemus . . . . si . . . exponemus iudicationem aut iudicationes, si plures erunt.* Ex quibus locis inter se comparatis Thielius, quaest. p. 14 in communi quem statuit fonte auctoris ad H. et Ciceronis praeceptum fuisse conicit: si plures iudicationes essent, plures exponendas esse: quae verba cum male intellegeret Cornificium in numero vim positam esse putasse, itaque enumerationem commendasse. Sed doctrina illa, qua Hermagorae κρινόμενον in prooemium trahebatur minus apta est (cf. supra p. 32); quo evincitur auctorem ad H. iure et consulto eam fugisse (cf. p. 32). Quae cum ita sint, equidem potius sumpserim a Cicerone vel eius doctore antiquam et iustam doctrinam, qua διαίρεσις sub attentionis praeceptis tradebatur, additamentis Hermagoreis corruptam esse.

[3]) cf. Volkmann p. 172.

cibus: *memoriam multitudine* illam *absolutionem*, quas Cicero in libris de inv. I 22,32 *distributionis* virtutes esse vult, nunc quidem in prooemio postulari, ita ut Ciceronem in partitionibus oratoriis, ubi *divisionem* non iam ut propriam orationis partem agnoscit (cf. p. 22), eius praecepta ad iustum et principalem locum reiecisse colligendum sit. Nam profecto affinitatem, quae *principium* inter et *partitionem* apud Romanos locum habet, inde repetendam esse, quod divisionis praecepta magnam partem e prooemio deprompta et derivata sunt, disceptatione antecedente probabile factum esse spero[1]).

In **docilitate** explananda Aristoteli cum posterioribus convenit, cum haec fere dicit: 1415a 37: εἰς δὲ εὐμάθειαν ἅπαντα ἀνάξει ⟨ὅσα εἰς προσοχήν · συμφέρει δέ, εὔνουν ποιῆσαι καὶ προσεκτικὸν⟩ ἐάν τις βούληται, καὶ τὸ ἐπιεικῆ φαίνεσθαι · προσέχουσι γὰρ μᾶλλον τούτοις. Sic enim Marxius p. 319 hunc locum

---

[1]) Atque omnino hanc orationis partem, quam Cicero et auctor ad H. tertiam statuunt, Graeci non habent, illorum demum aetate ortam esse opinor. Ad huius rei fidem praeter illud, quod prior divisionis pars manifesto ad Hermagorae κρινόμενον pertinet (cf. p. 31), haec potissimum valent:

1. Ex ipsa varietate, quae in *divisionis* descriptione inter ambo scriptores exstat — Cicero *distributioni* tres virtutes subicit, cum auctor ad H. eam in *enumerationem* et *expositionem* digerat —, conicere licet divisionis doctrinam recentem necdum aetate sanctam fuisse.

2. Bruti quodam loco 88,302 (cf. etiam pro Quinctio 10,35) Hortensius attulisse dicitur *minime vulgare genus dicendi*; *duas quidem res, quas nemo alius*: *partitiones, quibus de rebus dicturus esset* etc. Hoc an verum sit, dubito, quoniam Hortensium undeviginti annos natum primam orationem habuisse scimus (v. de orat. III 61,229), Ciceronis autem de inventione libri, ubi haec divisionis disciplina iam ratione comprehenditur, circa annum 90 *ei puero aut adulescentulo e commentariolis exciderunt* (de orat. I 2,5). Sed id unum ex hoc Bruti loco suspicari debemus initio primi saeculi tales divisiones apud Romanos vix diu in usum receptas fuisse.

3. Velim attendas de inv. I 23,33, ubi iactat Tullius: *ac sunt alia quoque praecepta partitionum, quae ad hunc usum oratorium non tanto opere pertineant, quae versantur in philosophia, ex quibus haec ipsa transtulimus, quae convenire videbantur, quorum nihil in ceteris artibus inveniebamus* (cf. ad hunc locum Thielium, quaest. p. 91—2). Quapropter verisimile esse arbitror totam de divisione doctrinam Ciceronis demum temporibus Romae celebrari coeptam esse.

sanavit. Cuius medelam et ego probaverim, quia in lectione tradita coniunctio γάρ iusta ratione caret. Iam vero sensus enuntiati, quem Marxius restitui voluit, apud auctorem ad H. I 4,7 et Ciceronem I 16,23 et anonymum Seg. § 14 (4,1 G.) et § 162 (30,24) revertitur, qui omnes docilitatem etiam idcirco parandam esse tradunt, ut auditores attentos reddamus; quo ipso consensu Marxii coniectura firmatur.

In **attentionis** comparandae praeceptis omnes auctores magnopere concordant:

Anax. 66,6: ἆρ' οὖν οὐ τούτοις (sc. προσέχομεν), ὅταν ἢ ὑπὲρ μεγάλων ἢ φοβερῶν ἢ τῶν ἡμῖν οἰκείων βουλευώμεθα; ἢ φάσκωσιν ἐπιδείξειν οἱ λέγοντες ὡς δίκαια καὶ καλὰ καὶ συμφέροντα etc. (similiter 80,6 in genere epidictico, ubi additur: καὶ ἐκ τοῦ θαυμαστὰ καὶ διαφανῆ φάσκειν sc. attentos faciemus; cf. etiam 100,2) — Arist. 1415b 1 (et 15): προσεκτικοὶ δὲ τοῖς μεγάλοις, τοῖς ἰδίοις, τοῖς θαυμαστοῖς, τοῖς ἡδέσιν· διὸ δεῖ ἐμποιεῖν ὡς περὶ τοιούτων ὁ λόγος — Dionys. de Lys. 35,22: δεῖ τὸν προσεκτικοὺς μέλλοντα ποιεῖν τοὺς ἀκροατὰς καὶ λέγειν θαυμαστὰ καὶ παράδοξα (cf. 28,10).

auct. ad H. I 4,7: *attentos habebimus, si pollicebimur nos de rebus magnis, novis, inusitatis verba facturos aut de iis rebus, quae . . . . pertineant . . . . ad eos ipsos, qui audient* (simillime Cic. I 16,23). Cic. part. or. 8,30: *ut attente autem audiamur, trium rerum aliqua consequemur: nam aut magna quaedam proponemus aut necessaria aut coniuncta cum ipsis, apud quos res agetur.*

Similia etiam anonymus Seg. ministrat § 15 (4,13—14 G), qui ipse quoque sicut Anaximenes complura affert τελικὰ κεφάλαια.

Anaximenes vero (66,10, cf. 55,20), auctor ad H. l. c., Dionysius 35,24 addunt iudices, ut attente audiant, rogandos esse, cum Cicero I 16,23 et anonymus Seg. 4,14 nos moneant, ut polliceamur, *nos brevi nostram causam demonstraturos*. Denique Aristoteles 1415a 38 et anonymus Seg. 4,12 iam sub attentionis praeceptis τὸ ἐπιεικῆ (ἔνδοξον) φαίνεσθαι commemorant.

Restat, ut de **benevolentia** agamus quam Cic. I 16,22

et auctor ad H. I 5,8 quattuor modis colligi posse docent: *ab nostra, ab adversariorum, ab auditorum persona, ab rebus ipsis.* En eadem doctrina apud Graecos quoque scriptores deprehenditur. Etenim Anaximenes, cum disputat, quid in genere iudiciali τῷ μήτε εὖ μήτε κακῶς διακειμένῳ faciendum sit (85,18 sq.), in rebus quidem eandem quadripertitam divisionem habet, quamquam certa et sollemnia vocabula deficiunt. Aristoteles autem non solum rem profert, sed etiam eosdem fere terminos III 14,1415a 25: λέγεται δὲ ταῦτα ἔκ τε τοῦ λέγοντος καὶ τοῦ ἀκροατοῦ καὶ τοῦ πράγματος καὶ τοῦ ἐναντίου. Quod vero Marxius p. 318 hic miratur Stagiritam meram partitionem indicare, in qua ipsa rectam seriem turbet, partitionis autem expositionem paene totam omittere, statuendum est philosopho non opus fuisse disciplinam communem pluribus enodare (cf. supra p. 25). Atque haec omnia praecepta vulgaria fuisse Aristoteles ipse testatur, cum ea l. c. ἰατρεύματα καὶ (und zwar) κοινά appellat. Ceterum iam Spengelius ad Arist. 1415a 25 (p. 429) adnotat: „haec praecepta non Aristotelem primum, sed rhetores aetate priores invenisse, posterioribus probata et accepta.“ Marxius autem optimo iure p. 318 Isocrateos intellegit, quia anonymus Seg. § 7 (2,8 sq.) et Dionysius[1]) 28,1 sq. eandem regulam exhibent. Tamen hac re differunt diversi scriptores, quod alteri (Anax. l. c., Cicero de inv. I 16,22, auctor ad H. I 5,8) illam distributionem favori emerendo subiciunt, alteri (Arist. l. c.; auctor ad H. III 6,11 in genere demonstrativo; Cicero (Antonius) de orat. II 79,321; anonym. Seg.) ab ea totum prooemium proficisci volunt. Quid vero Dionysius de hac re statuerit, non liquet, etiamsi eum ab Anaximenis sententia stare ideo sumpserim, quia hi ambo scriptores in illa partitione explicanda vel maxime congruunt. Denique Cicero part. or. 8,28—29 aliquid proprii habet, cum principia *aut ex personis aut ex rebus ipsis* ducenda esse

---

[1]) Dionysius antequam ad illam distributionem accedit, haec verba memoratu digna praemittit 27,24: . . . ὁρῶν δὲ τὸν ῥήτορα πᾶσι κεχρημένον, οἷς τέχναι τε παραγγέλλουσι καὶ τὰ πράγματα βούλεται. cf. 34,19; 35,10, 21.

dicit: ex personis autem aut *nostris* aut *disceptatorum* aut *adversariorum*, ut *amice* audiamur, ex rebus, ut attentos faciamus auditores eosque doceamus[1]) (Heinicke p. 72). Sed agedum singula adeamus.

1. ab nostra persona[2]).

In hac parte id potissimum praescribitur, ut orator se ipse laudet:

Anax. 85,20: δεῖ δὲ αὐτοὺς ἐκ τούτων ἐπαινεῖν, ὧν μάλιστα μέτεστι τοῖς ἀκούουσιν, λέγω δὲ φιλόπολιν, φιλέταιρον, εὐχάριστον, ἐλεήμονα, τὰ τοιαῦτα.

auct. ad H. I 5,8: *a. n. p. benevolentiam contrahemus, si nostrum officium .... laudabimus atque in rem publicam quales fuerimus aut in parentes aut in amicos aut in eos qui audiunt *** aliquid referemus.*

Cic. I 16,22: *si de nostris factis et officiis sine adrogantia dicemus.* Vides apud Ciceronem sententiam, non verba congruere, quoniam etiam hoc loco ut aliis consuetudinem in universum loquendi et singula comprehendendi sequitur[3]).

---

[1]) De ordine, quo quattuor illae partes collocantur, hoc adnotandum est plerumque scriptores Anaximenis seriem observare: 1. ab nostra 2. ab adversariorum 3. ab iudicum vel auditorum persona 4. a re, nisi quod Aristoteles 1, 3, 4, 2, Cicero (Anton.) de orat. et anonymus Seg. in ipsa tractatione 1, 2, 4, 3, Cicero part. orat. 1, 3, 2, 4 ordinant.

[2]) Miramur, quod neque apud Ciceronem neque apud auctorem ad H. patroni persona tangitur. Nam in usu forensi Latinos oratores saepius a sui, i. e. patroni laudibus vel condicione exordium duxisse, Rohdius p. 10—14 multis exemplis Ciceronianis evincit. Qui tamen vir doctus Cic. de inv. I 16,22 (= auct. ad H. I 5,8) falso interpretatur, cum sub *nostra persona* de patrono agi suspicatur. Immo inter patronum et reum non discernitur, ut Preiswerkius p. 8—9 cognovit et probavit. Quin etiam praecepta ipsa ll. cc. tradita magis ad reum (clientem) pertinere puto. Atque de orat. II, 79,321 quidem Cicero (Anton.) claris verbis *ex reo sententias duci* in prooemio contendit (*reos*, inquit, *appello, quorum res est*). Iam vero Preiswerkius eo quod patroni nec vola nec vestigium sit, Graecum auctorem prodi rectissime monet; ad quem totam illam quadripartionem, „quaeque una cum ea legantur", revocanda esse. Quod quidem comparatione supra a nobis instituta prorsus confirmatur

[3]) cf. Thiele, quaest. p. 15.

Tamen aliquanto fusius de hac re, quam Dionysius de Lys. 28,2 et Tullius ipse (Antonius) de orat. II 79,321 obiter perstringunt, in part. or. 8,28 disserit. Aristoteles autem 1415a 27[1]: περὶ αὑτοῦ μὲν καὶ τοῦ ἀντιδίκου, ὅσα περὶ διαβολὴν λῦσαι καὶ ποιῆσαι cum his Ciceronis verbis (I 16,22) facit: *si crimina inlata et aliquas minus honestas suspiciones iniectas diluemus* (cf. part. or. 8,28). Dionysius contra 28,3 sub *adversariorum persona* de criminibus dissolvendis loquitur[2].

Quod denique auctor ad H. et Cicero de inv.[3] iudices orandos esse existimant, ut nobis auxilio sint, id Anaximenes 55,21 significat.

2. ab adversariorum persona.

In hac parte omnes auctores adversarios obiurgare et criminari docent; sed in singulis Graeci et Latini minus congruunt.

3. ab auditorum vel iudicum[4] persona.

Anax. 86,2: χρὴ δὲ καὶ τοὺς δικαστὰς ἐπαίνῳ θεραπεῦσαι, ὡς δικασταὶ δίκαιοι καὶ δεινοί εἰσιν. cf. 67,7.	Dionys. 28,5: τότε δὲ τοὺς δικαστὰς ἐπαινῶν καὶ θεραπεύων οἰκείους ἑαυτῷ τε καὶ τῷ πράγματι καθίστησιν.

Similem opinionem auctor ad H. et Cicero ll. cc. afferunt; at verbis a Graecis discedunt, nisi quod Cicero voce *adsentationis* utitur.

---

[1]) Hoc enuntiatum sic intellego, ut vv. ὅσα περὶ διαβολὴν λῦσαι ad περὶ αὑτοῦ, vv. περὶ διαβολὴν ποιῆσαι ad περὶ τοῦ ἀντιδίκου referam (cf. etiam 1415b 18 et 37). cf. Isocr. frg. 3 (Bl.): ἐν γὰρ ταῖς καταστάσεσι τά τε οἰκεῖα συνιστῶμεν καὶ τὰ τῶν ἐναντίων διαβάλλομεν πρὸς τὸ οἰκεῖον συμφέρον ἐργαζόμενοι τὰς καταστάσεις.

[2]) cf. Marx p. 318.

[3]) Aliter Cicero (Anton.) de orat. II 79,322.

[4]) Haec vocabula et apud Graecos et apud Latinos invicem usurpantur. cf. Rohde p. 19, qui Ciceronem eodem fere loco pro uno vocabulo alterum vel alia quoque ut *ii apud quos agitur* (de orat. II 79,321) substituisse exemplis illustrat. Addo part. or. cap. 8, ubi § 28 nomen *disceptatorum*, § 29 *auditoris*, § 30 eorum *apud quos res agetur* obviam fit. Anonymus autem Seg. § 7 (2,19 G.) habet: ἐκ τῶν ἀκροατῶν ἢ δικαστῶν.

4. ab rebus ipsis.

Anax. 86,4: συμπαραληπτέον δὲ καὶ τὰς ἐλαττώσεις[1]), εἴ που τῶν ἀντιδίκων καταδεεστέρως ἔχει πρὸς τὸ λέγειν ἢ πράττειν ἢ ἄλλο τι τῶν περὶ τὸν ἀγῶνα. cf. 67,9.

Dionys. 28,7: τότε δὲ τὴν ἀσθένειαν τὴν ἰδίαν καὶ τὴν πλεονεξίαν τὴν τοῦ ἀντιδίκου καὶ τὸ μὴ περὶ τῶν ἴσων ἀμφοτέροις εἶναι τὸν ἀγῶνα ὑποδείκνυσι, ... τότε δὲ ἄλλο τι παρασκευάζεται τῶν δυναμένων αὐτὸν μὲν ὠφελῆσαι, τὸν δὲ ἀντίδικον ἐλαττῶσαι[1]).

Haec παραγγέλματα quatenus pertinent ad rationem illam, qua apud Graecos reus vel accusator simplicis et imperiti hominis, ab rhetoricae fallaciis alieni (ἰδιώτου) personam induere iubebatur[2]), apud Romanos, quippe qui in iudiciis patronos orare paterentur, minus valebant. Sed quod Anaximenes et Dionysius Hal. (Isocratëi) alia quoque incommoda quam plurima, quibus nostra causa laboret, praestanda esse iudicant[3]), hoc ipsi Latini rhetores praecipiunt, si non sub *rebus ipsis* at certe sub *nostra persona*. Nam Cicero I 16,22 prodesse affirmat *si, quae incommoda acciderint aut quae instent difficultates, proferemus*, auctor ad H. I 5,8: *si nostra incommoda proferemus, inopiam, solitudinem, calamitatem*, i. e. ut misericordia[4]) excitetur suadent[5]). Quod quidem Cicero part. or. 35,121 et de orat. II 79,321 (Anton.) dilucidis verbis praescribit.

Attamen in parte, quae sumitur *ab rebus ipsis*, Romani,

---

[1]) Idem terminus exstat: Antiph. V 19; Dem. 18,3, alias. cf. Spengel p. 245.

[2]) Hanc rationem, ut aptata est ad mores Atheniensium, populi in suspicionem λογοδαιδαλίας maxime proni, oratores Attici sexcenties persequuntur usu, ita ut exempla cumulare facile sit. cf. Spengel in comm. p. 246, Navarre p. 222—5.

[3]) Exempla e oratoribus Atticis sumpta iterum Spengelius p. 245 et Navarrius p. 230 sq. praebent.

[4]) Haud secus Aristoteles 1415b25 ἔλεον in prooemio comparandum esse putat.

[5]) Nec Tullius hanc doctrinam in orationibus suis neglegit. cf. Rohde p. 14—16.

quibuscum partim anonymus Seg. § 7 (2,16 G.) concinit, ab his paene diversa habere videntur. cf. auct. ad H. I 5,8 (Cic. I 16,22): *nostram causam laudando tollemus, adversariorum per contemptionem deprimemus*[1]). Aristoteles autem mediam viam sequitur, cum 1415b 35 sq. τὸ πρᾶγμα saepius ἢ μεῖζον ἢ ἔλαττον esse dicit, ita ut in principio ἢ αὐξῆσαι ἢ μειῶσαι opus sit. Sed haec non in ea, de qua agimus, partitione tradit. Adiungere iuvat nonnullos rhetores etiam alia praecepta de benevolentia captanda mandasse. E quibus Anaximenem 87,4 sq., Dionysium 34,19 sq., anonymum §§ 18,40 laudo, qui quid eum qui propinquis litem intendit, ad opprobria ex hac re orientia depulsanda proferre oporteat, non sine magno consensu docent[2]).

Ac ne ea quidem partitio, quam Cicero I 15,20 et auctor ad H. I 3,5 sq. cum vetustioribus illis partitionibus modo peractis confundunt, dico partitionem, qua *genus exordii* pendere volunt *a genere causae* Hermagoram secuti[3]), apud Anaximenem omnino desideratur. Sunt autem genera causarum[4]) apud auctorem ad H. quattuor vere Hermagorea: *ho-*

---

[1]) Alia, quaeque in libris de inventione magnam partem sub *adversariorum persona* attulit, Cicero (Anton.) de orat. II 79,321 ad *rem* trahit.

[2]) cf. Navarre p. 233—5.

[3]) v. Thiele p. 114 sqq.

[4]) De his generibus falso Volkmannus p. 108—9, p. 137, rectissime et sagaciter Thielius quaest. p. 5—7, Hermag. p. 114 sqq. disserit. Qui vir doctus Hermagoram quattuor modo genera eaque ab auctore ad H. statuta agnovisse firmis argumentis evincit. Nec tamen, quae ratio fuerit, qua permoti posteriores quintum genus (δυσπαρακολούθητον) inutiliter aggregaverint, explanat. Fuit autem haec, ni fallor: Rhetor quidam — is a quo Cicero pendet —, qui Hermagorae praecepta de quattuor causae generibus mandata cum principii et insinuationis pervulgata doctrina, quam Hermagoras aspernatus est (cf. Thiele p. 114 et 120), contaminavit, in honesto genere prooemio opus non esse docuit ad Hermagoram totum se applicans (cf. infra p. 41), ad dubium autem genus benevolentiam, attentionem ad humile, insinuationem ad turpe rettulit. Quo facto desideravit causae genus, cui docilitatem subiceret. Quam lacunam ut expleret, γένος δυσπαρακολούθητον (obscurum) inepte invenit. Ceterum ab alio fortasse Hermagorae et vetustior disciplina Attica conflata, ab alio postea demum quintum genus adnexum est.

nestum (ἔνδοξον), *turpe* (παράδοξον)[1], *dubium* (ἀμφίδοξον), *humile* (ἄδοξον); apud Ciceronem quinque: *honestum, admirabile*[2]) (= παράδοξον), *humile, anceps, obscurum* (δυσπαρακολούθητον). Quibuscum tres illas partes, in quas Anaximenes εὔνοιαν dirimit, eo magis comparare licet, quia Hermagoras ipse ut totum prooemium, ita genera quoque causarum ad benevolentiam conciliandam rettulit[3]).

cf. Anax. 66,19 et 85,8 sqq.: εὐνοϊκῶς ἔχουσιν οἱ ἀκροαταί (honestum genus).

67,4 et 85,13 sq.: μήτε εὖ μήτε κακῶς (dubium genus).

67,13 et 86,10 sq.: δυσμενῶς (genus turpe).

Singillatim haec observavi: Quod in genere honesto Hermagoras, utpote qui totum exordium in benevolentia contrahenda collocet[4]), omnino *negat esse praefandum*[5]), Cicero vero I 15,21 et auctor ad H. I 4,6: *recte vel uti vel non uti principio licere* (auct. ad H.) affirmant, hoc comparari potest cum Anax. 66,19: ἐὰν μὲν οὖν εὖνοι τυγχάνωσιν ὄντες, περίεργον λέγειν περὶ εὐνοίας et cum anonymo Seg. 6,8 (cf. 31,13): τρίτον (δεῖ παραιτεῖσθαι τὰ προοίμια), ὅταν οἰκεῖοι ὦσιν οἱ ἀκούοντες· περιττὸν γὰρ τὸ πειρᾶσθαι εὔνους ἡμῖν ποιεῖν τοὺς ἀκούοντας οἰκείους ὄντας. Statim addere mihi liceat Aristotelem (cf. supra p. 24) 1415b 34 (14b2) et Ciceronem part. or. 4,13 (cf. 27,97) in genere deliberativo, praeterea 1415a23 et de orat. II 79,320 (Anton.) in parvis causis prooemio supersedendum esse docere. Item auctor ad H. III 9,17; Dionysius 28,21; anonymus Seg. § 21 sqq. (6,1 G) nonnumquam satius esse principium omittere arbitrantur. Apparet igitur nostros scriptores ad unum omnes ab Apollodoreorum sententia recedere,

---

[1]) Haec vox voci ἔνδοξον contraria est. Causa autem, quae erat παρὰ τὴν τῶν δικαστῶν δόξαν, turpis appellari poterat, quia causae iustitia solo iudicum arbitrio taxabatur. cf. Thiele ll. cc.

[2]) Hoc vocabulo παράδοξον pessime redditur. cf. Thiele, quaest. p. 6.

[3]) cf. Thiele p. 116.

[4]) Item Cic. part. or. 5,15: *principia sumenda ad benevolentiam conciliandam.*

[5]) Aurelius Augustinus de rhetorica, rhet. Lat. min. p. 148.

qui unamquamque orationis partem necessariam esse statuebant. cf. anon. Seg. § 26 sqq. (6,13 G)[1]).

In turpi genere cum audientium animis vehementer abalienatis principio uti non possimus, ad insinuationem[2]) confugiendum esse apud Romanos traditur (auct. ad H. I 6,9—10; Cic. I 17,23 sq.). Atque Graeci quoque scriptores[3]) permulta praecepta dant, quibus quasi remediis usi audientium gratiam recuperare possimus. Nec tamen in singulis maior cognatio exstat, praeterquam quod auctor ad H., a quo ne Cicero quidem dissentit[4]), insinuationem non solum in turpi causa, sed etiam alibi usurpandam esse dicit.

Sequitur, ut nonnulla de generis demonstrativi prooemio adiciam. In hoc genere Aristoteles προοίμιον quasi προαύλιον esse dicit[5]). Quod simile e musica sumptum adhibens fortasse etymologiam nominis προοιμίου respicit[6]). Pergit Aristoteles non opus esse prooemio ex ipsa causa ducto arteque cum ea cohaerente; contra recentiores communiter exordium non *extrinsecus alicunde quaerendum, sed ex ipsis visceribus causae sumendum esse,* non semel asseverant[7]). Im-

[1]) cf. Schanz: Apollodoreer und Theodoreer, in Hermae tomo XXV 1890, p. 43—44.

[2]) Sed in aliis scriptis Cicero nec de insinuatione nec de quinque causae generibus mentionem facit, quia haec omnia praecepta ut sublitiora et iusto captiosiora contempsisse videtur.

[3]) cf. Anax. 67 sqq., 86 sqq.; Arist. III 16; Dionys. 34,19 sq.; anon. § 18 (5,5 G.).

[4]) Thiele, quaest. p. 19—20.

[5]) Similiter Aristoteles exordium in genere deliberativo 1415b 39: κόσμου χάριν praemittendum esse docet, ὡς αὐτοκάβδαλα φαίνεται, ἐὰν μὴ ἔχῃ. cf. 1415b 8, ubi discimus prooemio opus esse, ἵνα ἔχῃ (ὁ λόγος) ὥσπερ σῶμα κεφαλήν. Cum hoc autem loco comparare expedit anon. Seg. § 26 (6,17 G.), δόξει γὰρ ἀκέφαλός τις ὁ λόγος εἶναι . . . διὰ τὸ ὥσπερ κεφαλὴν τοῦ παντὸς λόγου τὸ προοίμιον εἶναι (Marx, p. 320) et Platonis Phaedrum 264 C : δεῖν πάντα λόγον ὥσπερ ζῷον συνεστάναι σῶμά τι ἔχοντα αὐτὸν αὐτοῦ, ὥστε μήτε ἀκέφαλον εἶναι etc. Oratio cum corpore etiam in Anax. 73,23 (65,7) contenditur. Idem simile apud Ciceronem quoque saepius significatur e. g. de orat. II, 80, 325 = de inv. I, 18, 26.

[6]) cf. anon. Seg. § 4 (1,13 G), Volkmann p. 127—28.

[7]) De orat. II, 78, 318; cf. Cic. de inv. I, 18,26 = auct. ad H. I, 7,11; Dionys. 29,3.

primis de orat. II, 80, 325, ubi Antonius: *conexum autem,* inquit, *ita sit principium consequenti orationi, ut non tamquam citharoedi prooemium adfectum aliquod esse videatur,* ab Aristotele discrepat, qui prooemium in tibicinum modum instrui vult. Quamquam considerandum est philosophum hoc praecipientem genus solum epidicticum intellegere, cum alii talia vetantes genus praecipue iudiciale et deliberativum significare sumendi sint.

Reliqua quoque Aristotelis doctrina, qua τὰ τῶν ἐπιδεικτικῶν προοίμια aut ἐξ ἐπαίνου ἢ ψόγου aut ἐκ προτροπῆς ἢ ἀποτροπῆς aut ἐκ τῶν δικανικῶν προοιμίων, i. e. ἐκ τῶν πρὸς τὸν ἀκροατήν [1]) ducenda esse docet, singularis aliisque inaudita est. Hunc tamen consensum inter Anaximenem, Aristotelem, auctorem ad H. enotavi 80,6: καὶ αὐτοὺς (sc. τοὺς ἀκροατάς) ἴσον [2]) καὶ τοὺς ἐγκωμιαζομένους καὶ ψεγομένους ἀποφαίνειν πεπραγότας. 1415b 28 ἐν δὲ τοῖς ἐπιδεικτικοῖς οἴεσθαι δεῖ ποιεῖν συνεπαινεῖσθαι τὸν ἀκροατήν. III 6,12: ab auditorum persona . . . *quoniam in eodem virtutis studio sint, apud quos laudemus atque ille, qui laudatur, fuerit aut sit, sperare nos facile . . . huius facta probaturos.*

Reliquum est ut nonnullas rationes quae intercedunt inter prioris et inferioris aetatis doctrinam exsequar. Antonius de orat. II, 79, 320 triplicem prooemii rationem esse his verbis dicit: *Omne autem principium aut rei totius quae agetur significationem habere debebit aut aditum ad causam et munitionem aut quoddam ornamentum et dignitatem.* Eandem triplicem ra-

---

[1]) Hoc prooemium Aristoteles 1415a 3 tribus temporibus locum habere putat: εἰ περὶ παραδόξου λόγος ἢ περὶ χαλεποῦ ἢ περὶ τεθρυλημένου πολλοῖς. Haec autem tempora cum distingueret, de tribus prooemii virtutibus in genere iudiciali traditis cogitasse videtur, ita ut in turpi (παράδοξος) causa benevolentia, in difficili (χαλεπή) intelligentia, in vulgata (τεθρυλημένη) attentio excitanda sit.

[2]) Sic enim vel αὐτοὺς ἴσα pro lectione tradita αὐτὸν ἴσον corrigendum esse puto (cf. Spengel p. 228). Nam illud αὐτὸν ἴσον nec ad sensum nec ad grammaticam quadrat, quae pluralis accusativum poscit. Aliter tamen Nitschius, Jahresb. d. phil. Vereins zu Berlin 32, 1906, p. 75 hunc locum sanavit et interpretatus est: καὶ αὐτοὺς (sc. qui laudantur) ἴσα τοῖς ἐγκωμιαζομένοις καὶ ψεγομένοις <μάλιστα> ἀποφανεῖν πεπραγότας.

tionem Aristoteles agnoscere videtur (cf. imprimis 1415b 34 sq.).

Deinde quod Aristoteles non iniquum esse tradit in prooemio risum excitare, hoc similiter apud auctorem ad H. I, 6,10 = Cic. I, 17,25 exstat.

Postremo mirum est, quod et Aristoteles (praecipue 1415b 9, Marx p. 319) et Cicero (Anton.) de orat. II, 79, 323 eos increpant, qui docilitatem, attentionem, benevolentiam in solo prooemio, non in tota oratione colligendas esse opinantur. De hac congruentia, quid statuendum sit, Angermannum consulas l. c. p. 9. Adde quod auctor quoque ad H. I 7,11 *has tres utilitates* non in prooemio solum, sed in tota oratione comparandas esse docet.

De narratione.

Narrationis descriptionem Aristoteles et Anaximenes plane praetermittunt. Definitio autem, quae apud Ciceronem I 19,27 et auctorem ad H. I 3,4 invenitur: *narratio est rerum gestarum aut ut* (*proinde ut*, auct. ad H.) *gestarum expositio* omnino progymnasmaticorum fini, qui τοῦ διηγήματος, non διηγήσεως est respondet[1]). Anonymus denique Seg. § 46—51 (p. 11,10 sqq. G.) plures definitiones praebet.

Atque, ut inde ordiar, Aristoteles et Anaximenes sub διηγήσεως vel ἀπαγγελίας nomine proprie simplicem rei gestae expositionem intellegunt. Idem valet apud Latinos, quibuscum anonymus Seg.[2]) mirifice concordat, unum idque primum de tribus narrandi generibus, quae distinguunt: auct. ad H. I 8,12: *unum est cum exponimus rem gestam et unumquidque trahimus ad utilitatem nostram vincendi causa, quod pertinet ad eas causas, de quibus iudicium futurum est.* Cic. I 19,27:

---

[1]) cf. Volkmann p. 150; Thiele, quaest. p. 28; Reitzenstein: Hellenistische Wundererzählungen, Lips. 1906 p. 153.

[2]) Sed nescio quo pacto tota haec epitomae pars, qua variae narrationis in species divisiones continentur, mendis scatet. cf. Graeven p. XLV.

unum genus est, in quo ipsa causa et omnis ratio controversiae continetur [1]).

Praeter hanc narrationem proprie dictam iam apud antiquissimos rhetoricae magistros aliae narrationum species occurrunt. Nam Theodorum Byzantinum διήγησιν, προδιήγησιν, ἐπιδιήγησιν arte sua complexum esse ex Aristot. III 13,1414b 14 scimus; quo autem loco [2]) Theodorus has diversas narrationes collocaverit, non comperimus. Et fortasse illa partitione subtili nihil aliud praescribere voluit, nisi quod Isocratem praescripsisse fragmento 4 (Bl.) docemur: ὡς ἐν τῇ διηγήσει λεκτέον τό τε πρᾶγμα καὶ τὰ πρὸ τοῦ πράγματος καὶ τὰ μετὰ τὸ πρᾶγμα. Atque Aristoteli [3]) quidem Theodori disciplina displicuit, ut ex 1414 b 15—18 cognoscitur [4]). Rursus Stagirita παραδιηγήσεις, quibus num Theodorus usus sit ignoramus [5]), interdum non incommodas esse censet. Nam III 16,1417 a 3 sq. suadet: παραδιηγεῖσθαι δὲ ὅσα εἰς τὴν σὴν ἀρετὴν φέρει, οἷον· „ἐγὼ δ᾽ ἐνουθέτουν ἀεὶ τὰ δίκαια λέγων, μὴ τὰ τέκνα ἐγκαταλείπειν", ἢ θατέρου κακίαν· „ὁ δὲ ἀπεκρίνατό μοι ὅτι, οὗ ἂν ᾖ αὐτός, ἔσται ἄλλα παιδία" . . . ἢ ὅσα ἡδέα τοῖς δικασταῖς.

Quocum Ciceronis et auctoris ad H. alterum narrandi

---

1) Has duas definitiones, quamquam ad idem spectant, non easdem esse nec ex eodem fonte derivatas vel caecus videt. Nec igitur Thielius (quaest. p. 29) argumentatione sua contrariam mihi sententiam comprobare potuit. Et egomet Ciceronis verba, quae in *iudicationem* quadrare in promptu est, — cf. parem anonymi Seg. definitionem § 55 (13,1 G.): αἱ μὲν κατὰ τὸ ἀμφισβητούμενον αὐτὸ συνίστανται —, ad Hermagoram refero (cf. supra p. 31), cum auctorem ad H. hic quoque magis ad antiquam doctrinam accedere arbitrer, quia simpliciter *rem gestam* ut *exponamus* praecipit. Quod autem pergit: *unumquidque . . . . vincendi causa*, hoc Cicero ipse quoque sub iis praeceptis tradit, quae § 30 adnectit: . . . . *omnia torquenda sunt ad commodum suae causae* . . . .

2) cf. Navarre p. 244, cuius opinio an probanda sit, satis dubito.

3) Nec Plato, Phaedr. 266 E sq. nimium eius acumen non illudit.

4) Apud oratores tamen Atticos προδιήγησιν, quae similis est προπαρασκευῇ, quae dicitur (cf. e. g. Dionys. Hal. de Isaeo cap. 15) saepius deprehendi Navarrius p. 157 iure monet.

5) Namque Martiani Capellae sordes (cf. Volkmann p. 151) nullius pretii sunt.

genus comparaverim, quod παραδιηγήσεως speciem redolet: auct. ad H. I 8,12: *alterum genus est narrationis, quod intercurrit nonnumquam aut fidei aut criminationis aut transitionis aut alicuius apparitionis causa.*

Cic. I 19,27: *alterum, in quo digressio aliqua extra causam aut criminationis aut similitudinis aut delectationis non alienae ab eo negotio, quo de agitur, aut amplificationis causa interponitur.*

cf. etiam anon. Seg. § 55 (13,3 G): αἱ δὲ παρεμπίπτουσι πίστεως ἕνεκεν ἢ αὐξήσεως ἢ διαβολῆς ἢ ἄλλου τινὸς τοιούτου, ἅστινας καὶ παραδιηγήσεις τινὲς καλοῦσιν.

Etenim Aristoteles quoque, ut insertae narrationes, quas commendat, *fidei aut criminationis* (πίστεως ἢ διαβολῆς) *aut delectationis causa* adhibeantur praecipere intellegitur e exemplis l. c. allatis et verbis illis postremo loco positis (ἢ ὅσα ἡδέα τοῖς δικασταῖς). Sed ipsis his exemplis respectis philosophum vocabulo παραδιηγεῖσθαι[1]) non narrationes diligentius perfectas, sed potius parvulas adnotationes[2]), ut ita dicam, per totam ἀπαγγελίαν dispersas appellasse existimem. Quas adnotationes, quibus orator omnia ad suum commodum vertit, Aristoteles III 17,1418 a 17 γνώμας nominat: γνώμαις δὲ χρηστέον καὶ ἐν διηγήσει καὶ ἐν πίστει· ἠθικὸν γάρ, „καὶ ἐγὼ ἔδωκα, καὶ ταῦτ᾽ εἰδὼς ὡς οὐ δεῖ πιστεύειν" (cf. etiam 1414 b 7).

Talem narrandi rationem, quae tota pertinet ad ἠθοποιΐαν, Antiphontem in deliciis habuisse Reuterus[3]) acute observat. Etenim vetus ille orator in narratione reputationes contemplationesque intexere solet, quam consuetudinem Andocides[4]) quoque sequitur.

Nec Anaximeni hoc narrandi genus, quod in transcursu

---

[1]) Velim attendas eum hoc verbum, non nomen παραδιηγήσεως in usu habere.

[2]) Spengelius in commentario ad Arist. 1417 a 3 (p. 439) vocabulum παραδιηγεῖσθαι sic explicat: „occasione data narrationi ea facta inserere, quae oratoris mores ostendunt, aut grata sunt auditori."

[3]) Beobachtungen zur Technik des Antiphon, Hermae 38, 1903 p. 482 sq.

[4]) cf. Blass A. B. I², p. 321 (passim p. 315,323).

interponitur, plane ignotum fuisse videtur, si modo haec eius verba 71,13: καὶ οὐδὲν ἄλλο λόγου σχῆμα[1]) παρεμπεσεῖται (in generis deliberativi narrationem) recte intellego. Novit ergo hoc genus sed reicit, si non omnino, tamen in legatione[2]) referenda.

At fortasse quispiam ex ipsius enuntiati forma suspicetur Anaximenem p. 71,13 non tam adnotatiunculas, sic ut Aristoteles praescribit compositas, quam ampliores quasdam παραδιηγήσεις, quae e. g. apud Demosthenem non semel exstant, significare simulque vetare voluisse. Ciceronem autem et auctorem ad H. sub altero narrationis genere copiosiores expositiones compluribus sane paragraphis comprehensas intellexisse, etiamsi scriptores non dicunt, ex ipsis definitionum verbis (cf. supra p. 44—5) elucet. Et profecto ii loci, quos Volkmannus p. 152 et Rohdius p. 33—5 Ciceronis orationes cum industria perscrutati ad alterum narrandi genus trahunt, ad unum omnes alicuius sunt spatii. Accedit quod anonymus Seg., cuius παραδιηγήσεως explicatio, ut vidimus, Romanorum simillima est, ipse quoque Midianae §§ 161 sqq. ut παραδιηγήσεως exemplum affert.

Nec vero posteriores a more illo τοῦ παραδιηγεῖσθαι, i. e. astutis narrationem principalem adnotatiunculis adspergendi admodum alieni erant. Quo more Cicero crebrius utitur[3]).

---

[1]) cf. de huius vocis usu Anaximeneo Blass II², p. 394³.

[2]) Hic coniecturam proferre audeo. Quod enim primo conspectu satis mirum esse videtur auctorem nostrum praecepta quaedam, quibus solam legationis narrationem complectitur, reliquae disputationi ad ἀπαγγελίαν spectanti praemittere, id inde explicaverim, quod Anaximenes prae aliis legationum narrationibus clarissimas Demosthenis et Aeschinis orationes a. 343 habitas memoria tenuerit (cf. Wendland p. 63²). Qua ex re argumentum quoddam nascitur, quo comprobatur rhetoricam quae ad Alexandrum fertur, circiter a. 340 conscriptam esse: abundans scilicet argumentum, quia tota haec quaestio Wendlandii acumine, cui adnuebat papyrus nuperrime reperta, ad exitum adducta est.

[3]) cf. Preiswerk p. 29—31; Rohdius p. 33, qui vir doctus quomodo Cicero initio orationis pro Ligario habitae omnia ad suum commodum torserit, pulcre explanat; cf. etiam sis pro Cluentio 6,15, Volkmann p. 161.

Huc etiam aperte spectat anonymi Seg. § 99 (19,10 G.): ἡδεῖαν δὲ ποιήσεις τὴν διήγησιν, ἐὰν τοῖς οἰκείοις αὐτὴν ἤθεσι διαποικίλῃς καὶ γνώμας ἀναμίξῃς. Qui locus aliquatenus concinit cum Aristotelis illis supra laudatis. Qui 1417 a 7 παραδιηγεῖσθαι nos iubet, ὅσα ἡδέα τοῖς δικασταῖς et 1418 a 17 in narratione γνώμας usurpandas esse ait, quia ἠθικόν sit. Cum anonymi autem paragrapho 99 iam Graevenus p. 19 (XLVII) Quintiliani locum IV 2,121 comparavit, ubi rhetor *ne sententia quidem* inquit *velut fatigatum intentione stomachum iudicis reficere* (sc. in narratione) *dissuaserim*, hoc praeceptum quid velit exemplis Ciceronianis interpretans.

Sequitur, ut quaeramus, quo tandem loco παραδιηγήσεις collocandae sint. Atque adnotatiunculas illas ab Aristotele aliisque vel postulatas vel frequentatas praecipue in ipsa narratione sedem habere scimus. Quid vero Cicero et auctor ad H. de alterius generis sede statuerint, minus in propatulo est, quia hi ambo exspectationem nostram fallunt, cum certa praecepta de altero narrationis genere prorsus neglegant. Tamen de Ciceronis sententia fortasse aliquid accuratius indagare possumus. Qui alterum illud genus, quod παραδιηγήσεως speciem prae se ferre diximus, *digressionis* appellatione signat. Et sane hae duae species adeo diversae non sunt, ut essent, qui τὴν παρέκβασιν ταὐτὸν εἶναι ὑπέλαβον τῇ παραδιηγήσει[1]); quorum opinio hac argumentatione statim refutatur: διαφέρει δέ· ἡ μὲν γὰρ παραδιήγησις, ὥς φασιν, ἐφάπτεταί τινων παρὰ τὸ πρᾶγμα, ἡ δὲ παρέκβασις ἐκδρομή ἐστι λόγων καθ' ὁμοίωσιν ἢ μίμησιν τῶν γεγονότων. Sic Cicero quoque digressionem suam introduci dicit: *similitudinis .... non alienae ab eo negotio, quo de agitur .... causa.* Deinde apud eum locutio illa, qua utitur Alexander Numenii filius in digressione repudianda[2]), sc. ἔξω τῆς ὑποθέσεως[3]), — quae locutio antiqua est,

---

[1]) Anonymus Seg. § 61 (14,2 G). Ne Quintilianus quidem (cf. e. g. IV 2,19) eorum discrimen satis respicere videtur.

[2]) anon. Seg. § 62 (14,9): πῶς ἐροῦμεν τὰ ἔξωθεν τῆς ὑποθέσεως;

[3]) Similis est dictio: ἔξω τοῦ πράγματος, de qua agit Marxius p. 320, qui Spengelium ad Arist. 1354 a 23 collaudat.

nam apparet ter[1]) apud Isocratem, — translata exstat verbis *extra causam*. Praeterea Tullius in definitione sua, quippe quae prorsus ad meram digressionem aptata sit, etiam eo ab auctore ad H. et anonymo Seg.[2]) recedit, quod vocem fidei (πίστεως), quam illi scriptores vel initio definitionis ponunt, omnino omittit; quo fit, ut totum genus alterum narrandi apud Ciceronem ad solam sive delectationem sive affectuum excitationem spectet. Ad quas aliis quoque locis non paucis[3]), ubi digressionem attigit, eam referendam esse putavit. Ex his ipsis autem locis Ciceronem digressionibus non certam quandam sedem dedisse — quamquam alios rhetores ut Hermagoram eas ante conclusionem post argumentationem collocasse et inter narrationis partes numerasse tradit[4]) — sed ubi occasio et tempus suadebant, ibi degrediendum esse ab orationis cursu docere comperimus[5]). Et revera exempla, quae p. 33—5 ad alterum genus illustrandum ex Cicerone collegit, Rohdius e diversissimis orationum partibus depromere potuit[6]).

---

[1]) VII 63; XII 74, 161. Et XII 74 quidem Isocrates τὰς πράξεις τὰς ἔξω λεγομένας τῆς ὑποθέσεως a multis tum reiectas esse ait; quod idem ex aliis duobus locis conicere licet.

[2]) Animadvertendum quoque est Ciceronem pro voce *intercurrit*, quae accurate voci παρεμπίπτει in Graeca definitione anonymi § 55 (13,3 G.) respondet (cf. Anax. 71,14), vocabulum *interponitur* substituere. cf. Thiele, quaest. p. 29.

[3]) Locos congerit Heinickius p. 63; addo part. or. 8,37.

[4]) cf. de inv. I 51,97; de orat. II 19,80.

[5]) cf. imprimis de orat. II 77,311; part. or. 4,14.

[6]) Hic abstinere me non possum, quin moneam digressionis ab Hermagora statutae descriptionem (cf. Cic. de inv. I 51,97), in qua *aut sui laus aut adversarii vituperatio* aut oratio postulatur, *quae in aliam causam deducat, ex qua conficiat aliquid confirmationis non argumentando, sed augendo per quandam amplificationem*, postquam cum altero illo narrandi genere comparavi, statim illud mihi in mentem venisse, an forte Cicero et auctor ad H. in hac quoque re ab Temnita pendeant; nam vehementer utriusque scriptoris Romani doctrina quamvis inter se diversa ad Hermagoream accedere videtur. Ceterum hoc sive ita se habet sive non, semper satis mirum videtur — valet enim in reliquam doctrinam

Anonymus vero Seg. quem locum παραδιηγήσει assignaverit, priusquam disceptemus, attendere debemus illum, cum non acquiesceret in uno παραδιηγήσεως genere statuendo, plures ei species sc. προδιήγησιν, παραδιήγησιν, ἐπιδιήγησιν subiecisse. Qua in partitione in eo offendimus, quod generis ipsius nomen inter species repetitur. At cave ne propterea hanc divisionem corruptam esse sumas. Nam similis incuriae vestigia saepius apud antiquos rhetores inveniuntur, etiamsi doleo me oblitum esse, ubi legerim[1]).

Iam vero anonymum Seg. παραδιήγησιν, cui hoc nomen proprie inditur (§ 59, 13,17 G.) ad Aristotelis modum in ipsa narratione posuisse tantopere ipsa definitionis forma me iudice apparet, ut potius errasse suspicer anonymum Seg., cum ad παραδιήγησιν illustrandam exemplum e Midiana sumptum adhiberet, quod exemplum ad orationis epilogum[2]) trahendum est, quam ut ab ista sententia depellar, quae paragrapho 88 stabilitur, ubi ἄλογα διηγήματα, quibus sc. ἔλλογα contraria sunt, narrationi interponere vetamur[3]).

Contra de προδιηγήσεως et imprimis de ἐπιδιηγήσεως sede, cuius definitionem § 60 (13,19 G.) Wilamowitzius et Graevenus haud genuinam esse contendunt, dubitari posse equidem concedo. Sed quaestio inde exoriens minus huc quadrat. —

Ad duo narrandi genera, de quibus diximus, auctor ad H. I, 8, 12—13, Cicero I, 19,27, anonymus Seg. § 53sq. (12,16 G.) insuper tertium[4]) addunt. Quod quoniam ipsi

Tullianam — quod Cicero nescio cui auctori se applicans I 51,97 Hermagorae digressionem idcirco se abnuere dicit, *quod de causa digredi nisi per locum communem displiceat.*

[1]) cf. tamen sis auct. ad H. II 30,47.

[2]) cf. Blass, A. B. III 1², p 336—7.

[3]) Eadem est Finckhii sententia, ut cognosco ex his eius supplementis, quae § 60 (13,19 G.) praeter alia inculcanda esse existimat: παραδιήγησις δέ, ὅταν ἐν αὐτῇ τῇ διηγήσει παρὰ τὴν ἰδίως καλουμένην διήγησιν ἕτερα τινα διηγησώμεθα. Nec igitur Graeveno fidem tribuemus § 57 (13,11) lacunam indicanti, quam tali modo replere vult, ut sensus fiat: si ipsa rerum gestarum narratio praesto sit, παραδιηγήσεις non esse necessarias.

[4]) Nonnulla, quae de hoc genere enucleata habeo, nunc quidem omisi. Cf. Thiele: Aus der Anomia, Berol. 1890, p. 124sqq. et Neue

a civilibus causis remotum esse aiunt, praeterire possumus. Agendum igitur est

de narrationum dispositione.

Anaximenes cap. 31 tres τάξεως modos discernit, quorum primus (73,13 sq.) et tertius (73,21 sq.) vix diversi sunt[1]), id quod quamvis per se perspicuum alio loco 88,11 sq., ubi duo tantum modi enumerantur, plane evincitur. Haec autem una et usitata narrationis disponendae ratio ea est, qua narratio post prooemium et ante argumentationem posita uno tenore detexatur. cf. Anax. 73,22: ἂν δὲ ὦσιν αἱ πράξεις μέτριαι καὶ ἀγνοούμεναι, τὴν ἀπαγγελίαν .... ἐπὶ τῷ φροιμίῳ δεῖ σωματοειδῆ τάττειν. Quam narrationis collocationem et institutionem Apollodorei[2]) solam adsciverunt.

Alteram disponendi rationem Anaximenes 73,16 (= 88,12) commendat, cum longas narrationes dividere et argumentationi inserere iubet:

Anax. 73,16: ὅταν δὲ λίαν ὦσιν αἱ πράξεις πολλαὶ καὶ μὴ γνώριμοι, παρ' ἕκαστον συναπτὰς ποιήσομεν καὶ δικαίας καὶ συμφερούσας καὶ καλὰς ἀποφανοῦμεν, ἵνα μὴ μόνον πραγματολογοῦντες ἁπλοῦν τὸν λόγον καὶ μὴ ποικίλον ποιῶμεν, ἀλλὰ καὶ τῶν ἀκουόντων τὰς διανοίας ἀναλάβωμεν.

Arist. III 16,1416b 16 sq.: διήγησις ἐν μὲν τοῖς ἐπιδεικτικοῖς ἐστιν οὐκ ἐφεξῆς, ἀλλὰ κατὰ μέρος ... 22 ἐνίοτε οὐκ ἐφεξῆς δεῖ διηγεῖσθαι πάντα, ὅτι δυσμνημόνευτον τὸ δεικνύναι οὕτως· ἐκ μὲν οὖν τούτων ἀνδρεῖος, ἐκ δὲ τῶνδε σοφὸς ἢ δίκαιος· καὶ ἁπλούστερος ὁ λόγος οὗτος, ἐκεῖνος δὲ ποικίλος καὶ οὐ λιτός.

Vides ergo utrumque scriptorem in duabus illis disponendi rationibus significandis eosdem terminos usurpare distinctos et definitos. Ac profecto totam illam de duobus narrandi modis doctrinam ad communem rhetoricam pertinere, id non solum illo quem ostendimus consensu inter

Jahrb. f. Phil. 147, p. 403 sqq.; E. Rohde: Kl. Schrift. II, Lips. 1901, p. 36 sqq.; W. Schmid: Neue Jahrb. XIII, 1904, p. 471 sqq., Reitzenstein: Hellenistische Wundererzählungen, Lips. 1906, p. 84 sqq.

[1]) Idem Graevenus p. 24 in adnot. ad § 129 affirmat.

[2]) Schanz, Hermae XXV p. 47—48. Cf. anon. Seg. § 124 (23,15 G.) sq. et § 132 (25,5) sq. (ἓν σῶμα τὴν διήγησιν ποιητέον).

Aristotelem Anaximenemque intercedente, sed etiam eo probatur, quod oratores crebrius ἀπαγγελίαν in plures partes scindunt, e quibus unaquaeque suam habet argumentationem. Immo haec narrandi ratio olim quinto saeculo adeo florebat [1]), ut Antiphon [2]) et Andocides ea sola usi sint. Nec vero a quarti saeculi oratoribus neglegebatur, quod cum ex Isocratis Aeginetico [3]), tum maxime ex Isaeo [4]), cui discipulus clarissimus [5]) ipse quoque interdum se addicit, efficitur. Atque de Isaei variis narrationem disponendi modis — tres enim enumerat — uberius Dionysius Hal. de Isaeo cap. 14 et 15 disputat. Cuius ex disputatione, qua alterum Isaei modum (cf. p. 111,22 sq. Us.-R.) omnino, tertium [6]) magna ex parte

---

[1]) cf. Reuter, Hermae 38, p. 482 sqq. Hoc Drerupius quoque (Jahrb. f. kl. Phil. XXVII 1902 p. 338) cognovit, cuius iudicium in hac saltem re Ed. Schwartz: B. ph. W. 1903 p. 101 vix iure improbat, ut ex Reuteri commentatione intellegitur.

[2]) Aliter Schwartzius: Ind. schol. Rost., 1892 p. 9 sqq.; Navarrius p. 122 sq.

[3]) cf. Blass, A. B. II², p. 192, 238. Recte Blassius in hac oratione Isocratem ab usitato schemate discedere vidit, non recte unam narrationem, sed tripertitam et argumentis interruptam in διήγησιν, ἐπιδιήγησιν, παραδιήγησιν dirimit.

[4]) cf. Blass II², p. 520.

[5]) cf. Blass III 1², p. 216.

[6]) De tertio narrationis collocandae genere aliquanto fusius agit Navarrius p. 244, p. 272—76, nec vero ita, ut supremum de hac re iudicium adferat. Atque Dionysius cap. 15 ad tertium illud genus explicandum narrationis contra Aristogitonem habitae, nunc quidem deperditae dispositionem breviter adstringit: In hac oratione Isaeus ante propriam διήγησιν ad controversiam principalem pertinentem, quae ipsa cum argumentis commiscetur, προκατασκευήν adhibuisse dicitur, qua de legibus narrat et narrationi statim ἀπόδειξιν subiungit (113,7: πρῶτον ἀποδοὺς (i. e. διηγησάμενος) τὸν ὑπὲρ τῶν νόμων λόγον καὶ τοῦτο ἀποδείξας τὸ μέρος, . . . οὕτως ἐπὶ τὴν διήγησιν ἔρχεται), ita ut hoc schema evadat: Ia διήγησις περὶ νόμων, Ib ἀπόδειξις, IIa + b διήγησις principalis una cum argumentis. Et similis quidem est structura sextae Isaei orationis, quae ad nostram memoriam pervenit (cf. Blass II², p. 520⁶). Sed exemplo illo orationis contra Aristogitonem habitae absoluto Dionysius p. 113,17 adicit: πολλὰς δ' ἂν ἔχοιμι καὶ ἄλλας παρασχέσθαι διηγήσεις, πρὸς τὸ συμφέρον ᾠκονομημένας ὑπὸ τοῦ ῥήτορος προκατασκευαῖς, παρασκευαῖς, μερισμοῖς, χωρίων ἀλλαγαῖς, πραγμάτων μεταγωγαῖς, τῷ τὰ κεφάλαια ἀνεστράφθαι, τῷ μὴ κατὰ τοὺς χρόνους

(cf. p. 113,11 sq.)[1]) ad narrandi normam, quam Anaximeni et Aristoteli supra vindicavimus, accedere edocemur, etiam Dionysium illius non ignarum fuisse apparet. Atqui gravissimum est eam Ciceronis ipsius temporibus non solum notam fuisse, sed viguisse. Namque in libris de inv. I 21,30 legimus .... *cum ipsius rei gestae expositio magnam excipit offensionem .... membratim oportebit partes rei gestae dispergere in causam et ad unamquamque confestim rationem accommodare, ut vulneri praesto medicamentum sit et odium defensio mitiget.* Idem Cicero part. or. 35,121 accusatori in causa coniecturali praescribit: *narratio autem accusatoris erit quasi membratim gesti negotii suspiciosa explicatio, sparsis omnibus argumentis, obscuratis defensionibus* (simillime auct. ad H. II 2,3). Nec talem narrationis disponendae rationem in ipsis orationibus non adhibuit, quae e. g. in C. Verris accusatione et in A. Cluentii defensione perspicitur[2]).

Accedit quod etiam anonymus Seg. hanc priorum rhetorum doctrinam compluriens (§ 56, 129, 133) significat. In § 129 (24,9 G.) autem Alexander Numenii filius contra atque alii, qui paene per totam orationem narrationes quoque collocari posse censebant, διηγήσει duos[3]) locos eosdem quos

---

τὰ πραχθέντα εἰρῆσθαι. Nempe haec disponendi ratio artificiosa ex communi quarti saeculi arte et rhetorum ludo recedit, in quo discipulos duas tantum narrationis collocandae rationes, easque quas supra significavimus, didicisse suspicor. Aliter Navarrius iudicare videtur.

[1]) Hic locus dignus est, qui totus reddatur: καὶ οὐδε ταύτην τὴν διήγησιν ἁπλῶς πως συστρέψας καὶ ἀκατασκευάστως τίθησιν, ἀλλὰ καὶ ταύτην μακροτέραν οὖσαν ἀποτομαῖς τισι διαλαμβάνει καὶ καθ' ἕκαστον εἶδος μάρτυρας ἀναβιβάζεται καὶ προκλήσεις ἀναγιγνώσκει καὶ συνθήκας παρέχεται τεκμηρίοις τε καὶ σημείοις καὶ τοῖς ἐκ τῶν εἰκότων ἐλέγχοις ἅπασι χρῆται.

[2]) cf. Rohde p. 29; cf. etiam Quinctianam (Rohde p. 30).

[3]) Graevenus p. 24 Alexandrum tres disponendi modos eosdem quos Dionysius de Isaeo cap. 14—15 agnovisse putat. Et de duobus quidem concedo. Nego quod Graevenus verbis τάττειν τὴν διήγησιν ἐν αὐταῖς ταῖς πίστεσιν, post quae vocem ἤ inculcat, eundem ait modum narrationis disponendae significari, qui tertio loco a Dionysio tractatur. Nam errat vir ceteroquin acutus, cum verba ἐν ταῖς πίστεσι (verte: inter argumenta) nimis premens haec verba dici non posse contendit, „si narratio non tota probationibus includitur, sed pars narrationis iis praemittitur". Sed

Anaximenes assignasse traditur: ὁ δὲ Ἀλέξανδρος πρὸ μὲν τῶν πίστεών φησι δεῖν τάττειν τὴν διήγησιν ἢ ἐν αὐταῖς ταῖς πίστεσιν μερίσαντα τοὺς λογισμούς, καὶ τοὺς μὲν προσήκοντας προτάττειν, τοὺς δὲ ἐν μέσῳ τιθέναι, διατάττοντας τὴν τῶν λειπομένων διήγησιν.

Ergo haec narrationis dispositio ne posteris quidem temporibus evanuit. Ratio tamen, quae ad narrationes tali modo dividendas valet, aliis scriptoribus alia est. Aristoteles enim, Anaximenes, Dionysius divisione in longis narrationibus, Cicero [1]) in causa calumniis oppressa, iudicibus suspecta utendum esse tradit. Denique Alexander in anonymi tractatu (§ 133) et ad vetustiorum doctrinam (cf. 25,12 G.) et ad Ciceronis (25,8 G.) accedere videtur.

Nec vero duobus locis, (sc. ante argumentationem vel in ipsa argumentatione), sed etiam multis aliis narrationem fieri nonnullos docuisse ex anonymo § 126—8 [2]) comperimus. Quod autem praeceptum § 126 invenitur: narrationem nonnumquam ante exordium sedem habere, hoc idem eodem

---

licet hoc verum sit, tamen secundum narrationis disponendae genus, quod apud anonymum Seg. § 129 Graevenus divinare sibi videtur, nequaquam cum Dionysii tertio comparari potest, quippe in cuius exemplo — ut taceam de reliqua eius varietate — pars narrationis sine dubio praemittatur (cf. supra p. 52 [6]), id quod Graevenus in secundo suo genere fieri non vult. Ceterum ne molestus fiam longa expositione et supervacanea: Alexander quid statuerit de narrationis collocandae modis, ex § 133 planum fit, ubi praeter duos Anaximeneos alios non commemorari, nemo infitiabitur. (cf. Schanz l. c. p. 46 [1], qui nostrae sententiae favet).

[1]) At ille quoque in Verris causa ob id unum, ut nimiam longitudinem evitaret, quae exstitisset, si innumerabilia rei crimina uno tenore narrasset, narrationem divisisse videtur (cf. Rohde p. 29). Qua eadem ratione permotum — sc. „ne iudicum attentio languesceret“ — eum in Cluentii defensione narrationem cum confirmatione confudisse, quamquam Rohdius non sine verisimilitudinis specie suspicatur, tamen in hac oratione Ciceronem ad tale artificium usurpandum magis eo excitatum esse iudico, quia Cluentius iudicibus in suspicione erat. Nam Ciceronem ipsum *se tenebras offudisse iudicibus in causa Cluentii gloriatum* esse apud Quintilianum II 17,21 accepimus.

[2]) Ad quem vel quos auctores hae paragraphi referendae sint, adhuc lis est inter doctos viros. cf. Graeven p. LVIII sq., Schanz p. 46, Angermann p. 55 sq.

modo apud auctorem ad H. III 10,17 nobis occurrit. Atque uterque scriptor eo quoque concinit, quod hanc narrationis collocationem maxime suadet, *si causa nostra magnam difficultatem videbitur habere* (auct. ad H. l. c.). Praeterea ab auctore ad H., qui omnino oratori maiorem libertatem concedit, narrationem nonnumquam post argumentationem adhibendam esse docemur; quod idem in anonymo § 127 (p. 24,1 G.) legitur. Atque Ciceronem similia praecepta mandaturum fuisse, si de dispositione egisset, ex I 21,30 concludi debet. Quin etiam ipse Aristoteles διήγησιν variis locis utilem esse censuit. cf. 1417b 11: πολλαχοῦ δὲ δεῖ διηγεῖσθαι καὶ ἐνίοτε οὐκ ἐν ἀρχῇ.

Praeterea in hac quoque re philosopho cum recentiorum sententia convenit, quod semper narrandum esse negat. Ut 1414a 39 et 1417b 12 in consultationibus διήγησιν reicit; quod idem auctor ad H. III 4,7 et Cicero part. or. 4,13 (cf. 27,97) faciunt. Contra Anaximenes distincta praecepta de narratione in hoc genere instruenda suppeditat[1]). Porro in genere demonstrativo Aristoteles III 13,1414a 38 et III 16,1416 b 26 et auctor ad H. III 7,13 narrationem frequenter futilem esse putant, cum Anaximenes et Cicero in laudationibus narrationem et confirmationem in unum cogere videantur (cf. supra p. 21[3]). In genere autem iudiciali nonnumquam narratione supersedendum esse Cicero de inv. I 21,30; de orat. II 81,330 (Ant.); part. or. 5,15; Alexander et Neocles i. e. Theodorei[2]) apud anon. § 116 (22,17 G.) sqq. affirmant. Praecipue Ciceronis loci inter se conspirant. In quibus quod legitur *ab adversariis re exposita nostra nihil interesse iterum aut alio modo narrare* (de inv.), *nisi si refellemus* (de orat.), satis cum Anaximene et Aristotele consentit[3]). Aliter apud anonymum Seg. § 123 (23,12 G.) modo in defensione modo in accusatione narratio relinquenda esse dicitur.

Sed agesis contemplemur, quas virtutes narratio praesta-

---

[1]) cf. Wendland p. 43.

[2]) cf. Schanz l. c. p. 40—41.

[3]) cf. Wendland p. 41.

re debeat. Et auctor quidem ad H. I 9,14 sqq. et Cicero I 20,28 sq., ut narratio *brevis, dilucida* vel *aperta* (*plana*), *verisimilis* vel *probabilis* (*credibilis*) sit, praecipiunt. Similia universus rhetorum chorus[1]) inde ab Isocrate[2]), qui primus ἀπαγγελίᾳ haec officia subiecit, decantare solet. Nec igitur Anaximenes (p. 72) nec Aristoteles (III 16) hanc doctrinam praetermittunt. Sed quoniam praecepta de his narrationis muneribus quarto saeculo litteris mandata, quae quidem ad nostram memoriam pervenerint, collegit, in unum aspectum coniecit, inter se comparavit Wendlandius (p. 39—43), id mihi solum relictum est, ut quid inferior aetas de iis protulerit, perlustrem.

Et ordo quidem, quo illae virtutes proponuntur apud diversos auctores diversus est, nisi quod omnes probabilitati ultimum locum concedunt (excepto Cicerone (Antonio) de orat. II 19,80 et 83).

Sed dum adhuc ad limen stamus, ne illud quidem silentio praetereundum est nonnullos rhetores narrationi plures quam tres virtutes tribuisse. Veluti ex Quintiliano IV 2,61 Theodectem eam insuper μεγαλοπρεπῆ et ἡδεῖαν esse voluisse discimus[3]), cuius doctrinae similem anonymus Seg. § 99—100 praebet[4]), cum alii duabus etiam novis additis, septem enumerarent (cf. anon. § 101), alii μεγαλοπρέπειαν solam ad communes tres virtutes adgregarent (cf. Quint. l. c.). Nec defuere, qui suavitatem praeter tria illa in narrationis praeceptis ducerent, ut Dionysius de Lys. 30,3 et 7 Us.-R[5]).

---

[1]) cf. Spengel ad Anax. p. 214.

[2]) cf. Wendland p. 39[2].

[3]) cf. Diels, A. A. B. 1886 p. 12[2], Wendland p. 39.

[4]) v. etiam Cic. part. or. 6,19, ubi sub elocutionis praeceptis *haec quasi lumina orationis commendantur: dilucidum, breve, probabile, inlustre, suave.*

[5]) cf. Marx p. 320[1]. In eo tamen offenditur, quod Dionysius p. 27,13 pollicitus sese Isocrateorum, quos tria narrandi munera statuisse constat (Wendland p. 39[2]), disciplinam exprimere velle, quartum (τὸ ἡδύ) addit. „At hoc Isocrati qui ubique id sectatur, non fuisse neglectum certum est, neque soli narrationi, sed omni orationis parti convenit“ (Spengel, artium script. p 170; cf. Sheehan p. 37). Velim conferas Isocr. II 41.

Eandem doctrinam Cicero duobus locis suppeditat (de orat. II 80,326 sq.; part. or. 9,32), nisi quod brevitatem ibi ex propria sede sua removet, ita ut trium virtutum numerum non excedat.

Iam de tribus illis narrandi officiis communiter statutis verba facienda sunt[1]).

In brevitatis praeceptis, quae Anaximenes 72,19—22 uno enuntiato comprehendit, vix maior concentus inter priores Graecos scriptores et Romanos anonymumque Seg. cernitur[2]).

Contra Cicero I 20,28, auctor ad H. I 9,14, anonymus Seg. § 64 sqq. (14,13 G.) valde et nonnumquam verbotenus inter se congruunt, cuius congruentiae testimonia Graevenus collegit[3]). Prodicus[4]) vero (cf. Plato, Phaedr. 267 B) et Aristoteles III 16, 1416 b 30 sq. brevitatis praeceptionem prorsus respuunt, quibuscum Cicero (Antonius) de orat. II 80, 326, 28 et part. or. 9,32 partim consentit, cum ipse quoque brevitatem ex numero narrandi virtutum tollat (cf. supra).

Perspicuitas[5]) autem secundum Anaximenis sententiam et verbis et rebus ipsis continetur[6]). Nec aliam partitionem anonymus Seg. § 80 sq. (16,18 G.) praebet, Cicero de inv. I 20,29 attingit, cum in fine paragraphi ad reliqua addit: *Ac verbis quoque dilucidis utendum est.* cf. etiam de orat. II 80,329, quo loco tam stricte quam accurate tota Anaximenis doctrina his verbis comprenditur: *erit autem perspicua narratio, si verbis usitatis, si ordine temporum conser-*

---

[1]) cf. Graeven, p. XLVI sqq.

[2]) cf. tamen sis Anax. et anon. § 66 (14,18 G.)

[3]) cf. etiam anon. § 63 sq. cum Anax. c. 22, Wendland p. 41[2].

[4]) cf. Wendland p. 41[2].

[5]) 72,7: σαφῶς μὲν οὖν δηλώσομεν ἀπὸ τῶν ὀνομάτων ἢ τῶν πραγμάτων. 100,12 autem scriptor pro σαφῶς voce καθαρῶς utitur. Eodem sensu καθαρῶς apud Anaximenem 71,11 et [Dem.] XII 1, apud Isocratem V 4 occurrit, nisi forte locis Anaximeneis (71,11; [Dem.] XII 1) hoc vocabulum v. *uberius, copiose* vertendum est. Cf. Ipfelkofer, Die Rhetorik des Anaximenes, p. 31.

[6]) Hanc partitionem etiam in brevitatis tractatione designat: cf. 72,20 ἀπὸ τῶν πραγμάτων καὶ τῶν ὀνομάτων. cf. anon. § 65.

vato, si non interrupte narrabitur. Quod vero Anaximenes primum praecipit 72,9: ἀπὸ μὲν οὖν τῶν πραγμάτων (σαφῶς δηλώσομεν), ἐὰν μὴ ὑπερβατῶς αὐτὰ δηλῶμεν, ἀλλὰ τὰ πρῶτα πραχθέντα . . . . πρῶτα λέγωμεν, τὰ δὲ λοιπὰ ἐφεξῆς τάττωμεν (simillime Isocr. frg. 4 et 6 Bl.), ad verbum fere apud auctorem ad H. (idem Cic. I 20,29) redit: *Rem dilucide narrabimus, si ut quicquid primum gestum erit, ita primum exponemus, et rerum ac temporum ordinem conservabimus, ut gestae res erunt* . . . (simil. anon. § 82, 88; cf. Graev. XLVIII). Subsequens Anaximenis παράγγελμα: καὶ ἐὰν μὴ προαπολιπόντες τὴν πρᾶξιν, περὶ ἧς ἂν ἐγχειρήσωμεν λέγειν, πάλιν ἑτέραν ἐξαγγείλωμεν (cf. 100,12 et Isocr. frg. 6 Bl.: καὶ μὴ πρὶν ἀποτελέσαι τὸ πρῶτον ἐπ' ἄλλο ἰέναι, εἶτα ἐπὶ τὸ πρῶτον ἐπανιέναι ἀπὸ τοῦ τέλους), in his auctoris ad H. verbis latet: *hic erit considerandum . . . . ne quam in aliam rem transeamus* (idem Cic. de inv.; cf. anon. § 84 et 88).

Proximum Anaximenis praeceptum: ἀπὸ δὲ τῶν ὀνομάτων (σαφῶς δηλώσομεν), ἐὰν ὅτι μάλιστα τοῖς οἰκείοις τῶν πραγμάτων ὀνόμασι τὰς πράξεις προσαγορεύωμεν, καὶ ἐὰν τοῖς κοινοῖς καὶ μὴ ὑπερβατῶς αὐτὰ τιθῶμεν, ἀλλ' ἀεὶ τὰ ἐχόμενα ἑξῆς τάττωμεν, ut manifesto ad elocutionem pertinet, cum nonnullis praeceptis de hac orationis parte in c. 25 traditis satis concinit[1]). Similia etiam apud Aristotelem[2]) III 2,1404 b 1 sqq., 1405 b 11—12, 1408 a 20,31 exstant. Nec Romani dissident; cf. auct. ad H. IV 12,17, ubi explanatio i. e. *aperta et dilucida oratio duabus rebus: usitatis verbis* (κοινοῖς) *et propriis* (οἰκείοις) *comparari* fertur. Vel propius ad Anaximenem Cicero part. or. 5,19 accedit: *dilucidum fiet usitatis verbis, propriis, dispositis*[3]).

---

[1]) cf. etiam Rabe: de Theophrasti libris περὶ λέξεως, diss. Bonn. 1890 p. 41—45; qui quae in hac opusculi parte profert, minus mihi placent. Krollius autem Rh. M. 58, p. 574[2] διηγήσεως et λέξεως virtutes primo non inter se conexas et aptas fuisse nescio quo iure dicat. Nam mihi ad hanc rem diiudicandam disquisitione distinctiore opus esse videtur.

[2]) cf. Wendland p. 40[1].

[3]) Similiter de orat. III 13,49; cf. de orat. II 80,329, III 37,149;

Postremum est, quod admoneamus claritatis praecepta et brevitatis finitima esse, id quod iam apud Anaximenem apparet, quippe qui concisam narrationem describens ea tantum verba retinere iubeat, ὧν ἀφαιρεθέντων ἀσαφὴς ἔσται ὁ λόγος (72,22). Vel maioris autem ponderis est, quod in appendice (100,10) ταχεῖαν διήγησιν iisdem fere verbis definit, quae 72,9—11 sub σαφηνείας praeceptis invenimus. Nec apud posteriores huius mixturae vestigia non exstant. Nam certe quod auctor ad H. I 9,15 praescribit: *hic erit considerandum, . . . ne quam in aliam rem transeamus* (idem Cic.), hoc etiam apertius sub brevitatis praeceptis I 9,14 deprehenditur[1]): *et si non deerrabimus ab eo, quod coeperimus exponere* (cf. Cic. I 20,28: *et si non longius quam opus est in narrando procedetur et si nullam in aliam rem transibitur*). Item anonymus Seg. nimis longas nimisque longe repetitas narrationes et § 84 sub σαφηνείας et § 65 sub συντομίας officiis abnuit (cf. etiam § 67). Nec Latini ipsi non intellexerunt locos brevi narrationi subiectos aegre ab iis seiungi posse, qui in aperta tradebantur. Cf. Cic. de inv. I 20,29: *et omnino, quae praecepta de brevitate sunt, hoc quoque in genere sunt conservanda* (simil. auct. ad H. I 9,15; cf. etiam part. or. 6,19). Atqui in part. or. 9,32 brevitas omnino non in narrationis virtutibus numeratur, ut supra p. 57 vidimus, sed perspicuitati subiungitur.

In probabilitate explananda multa inter Aristotelem Anaximenemque conveniunt. Ille enim πιθανότητα causis additis, quibus ἄπιστα confirmemus, conciliare (1417a 28; cf. 1417 b 17), deinde moribus (ἤθη) et affectibus (πάθη) ostentandis corroborare iubet, quod Marxius p. 321 ex anonymo Seg. § 93 (18,15 G.) sq. recte collegit. Haud secus Anaximenem de hac re iudicare Wendlandius p. 40—41 demonstrat, cum vel in singulis rebus utrumque auctorem inter

orat. 24,80; de finib. IV 57; V 88, quos locos Krollius Rh. M. 58 p. 561[2] laudat; Philodem. 161,6—12 S.; Dionys. de Lys. 10,7; 12,10; 15,18; de Isocr. 70,19; anon. § 85.

[1]) cf. Heinicke p. 75[1], qui alia quoque huius repetitionis exempla praebet.

se conspirare exponit; quo ex consensu totam hanc doctrinam ad vetustiores artium magistros trahendam esse elucere. Nos igitur inferioris aetatis disciplinam contemplemur. Et anonymus quidem § 93 (18,15 G.) in probabili narratione describenda dicit: ἐφ' ἅπασι δὲ τούτοις τὴν αἰτίαν προσθετέον· ἐπακτικώτερον γὰρ πρὸς πειθώ. Aί iam antea § 90 αἰτίαν inter circumstantias[1]) (περιστάσεις) quae vocantur, quas μόρια τῆς διηγήσεως appellat, enumeravit. Item apud Ciceronem et auctorem ad H. *causa* vel *ratio* praeter ceteras circumstantias, quae paene eaedem sunt atque apud anonymum Seg. traditur:

auct. ad H. I 9,16 *verisimilis narratio erit, si consiliorum rationes constabunt, ne refelli possit . . . causam nullam fuisse.*

Cic. de inv. I 21,29 *probabilis erit narratio . . . si causae factorum exstabunt.*

part. or. 9,32 *probabilis erit* (narratio) . . . *si quoiusque facti et eventi causa ponetur.* Quod vero in anonymo § 90 (18,11 G.) legitur: circumstantias ideo usurpandas esse, ne oratio iis omissis exilis fiat et tenuis, quod porro § 92 praescriptum invenimus, ne ψιλῶς τιθῶμεν τὰ μόρια, ἀλλ' ἀκριβῶς ἕκαστον διηγώμεθα, recordamur de Anax. 71,10 sq., ubi paria exstant (cf. imprimis v. 22: . . . ἀλλ' ἀκριβῶς ἕκαστον ἀπαγγελλόντων). Nec huc non tendit Cic. de orat. II 80,328: *et est et probabilius, quod gestum esse dicas, quom quemadmodum actum sit exponas*[2]).

Sequitur, ut perscrutemur, quae praecepta ad ἦθος[3]) pertinentia apud singulos scriptores litteris mandata sint. Atque Aristoteles 1417a16 sq. (cf. etiam 1417b7 sq.) ad ἦθος, inquit, comparandum ἓν μὲν δὴ τὸ προαίρεσιν[4]) δηλοῦν, i. e.

[1]) Anonymus habet: πρόσωπον, πρᾶγμα, τόπος, τρόπος, χρόνος, αἰτία. (cf. § 50, 12,5 G). Iisdem peristantiis, quas partim ne quinto quidem saeculo ignotas fuisse Radermacherus (Philol. 57, 1898 p. 230) e Aristophanis Ranarum versibus 978—9 conicit, Hermagoras in argumentatione usus est (cf. Thiele, Hermagoras p. 37 sqq.).

[2]) Contrarium Cicero de inv. I 20,28 sub brevitatis praeceptis docet.

[3]) ἦθος, cuius nomine caret sermo Romanus. Nam vocabulis *mores* vel *affectus compositi* non accurate convertitur (cf. Volkmann p. 273).

[4]) cf. Wendland p. 42².

philosophus iis, qui bona consilia, bonos mores prae se ferant, fidem adiungi putat. Similis doctrina apud Anax. 98, 21 (cf. 84, 15) reperitur: δεῖ δὲ πικρῷ τῷ ἤθει μὴ ἐξετάζειν[1]), ἀλλὰ πρᾳεῖ[2])· τοῦτον γὰρ τὸν τρόπον οἱ λόγοι γινόμενοι πιθανώτεροι φανήσονται τοῖς ἀκούουσιν, . . . Porro aliis locis non paucis Anaximenes respicit δόξαν ἐπιεικῆ τοῦ λέγοντος, quae nuncupatur[3]). Sic Isocrates quoque non semel atque imprimis XV 278—80[4]) ἦθος vel ἐπιείκειαν vel δόξαν τοῦ λέγοντος quam plurimum plusque quam argumenta ad iis qui audiunt fidem faciendam conferre asseverat. Isocratis autem loco (XV 278—80) ita memorabili, ut eum allegandum esse putaverim, quamvis illic ἦθος non solum in narratione, sed in tota oratione gravissimum esse doceatur, simillimus est Aristoteleus 1356a5 sq., ubi ad causam probandam σχεδὸν ὡς εἰπεῖν κυριωτάτην ἔχειν πίστιν τὸ ἦθος (a13), i. e. τὴν ἐπιείκειαν τοῦ λέγοντος (a11) comperimus.

Nec posteriores hoc ἦθος, quod quadrat in προαίρεσιν, in δόξαν τοῦ λέγοντος praetermittunt. Nam una de peristantiis: *personarum dignitates* (Cic. I 21, 29; auct. ad H. I 9, 16), quae peristantia in Ciceronis topicis 26, 97 una est de narrationis virtutibus, e quibus l. c. sex habet, aperte ad ἦθος praestandum spectat. Vel apertius Cicero part. or. 9, 32: *probabilis*, ait, *erit narratio, . . . si probitas narrantis significabitur, si antiquitas, si memoria, si orationis veritas et vitae fides.*

At is, qui ἠθικῶς[5]) orare vult, non solum dignitatem suam et virtutem ostentare debet, sed etiam omnino ex infixa sua et innata indolis proprietate et vivendi condicione, nec non respiciens aliarum, de quibus agitur perso-

---

[1]) cf. anon. Seg. § 18 (5, 6 G.): ἐπιεικὴς δὲ δόξεις . . . καὶ τῇ ἐκβολῇ τοῦ λόγου μὴ πικρᾷ χρώμενος.

[2]) cf. Wendland p. 26[2].

[3]) cf. Wendland p. 50, 54.

[4]) Alios Sheehanius p. 34—35 enumerat.

[5]) De duplici ἤθους forma — et recentiores quidem diligenter ἦθος φιλόσοφον et ῥητορικόν distinguebant — cf. Radermacher, Rh. M. 54, 1899 p. 376 sqq.

narum mores et ingenia, praeterea ad audientium animos et aetates accommodate, postremo ex rerum ipsarum natura narrationem et orationem [1]) instituat necesse est. Veluti Anaximenes in appendice 100, 14 sub narrationis ipsius praeceptis perhibet: μὴ ἀπίστως δέ (ἀπαγγελεῖς), ἐὰν μὴ παρὰ τὸ ἦθος τὸ σαυτοῦ πράττῃς. Aristoteles vero III 16, 1417a37 . . . λέγε, inquit, διηγούμενος καὶ τὰ ἑπόμενα καὶ ἃ ἴσασιν καὶ τὰ ἴδια ἢ αὐτῷ ἢ ἐκείνῳ προσόντα· „ὁ δ' ᾤχετό με ὑποβλέψας". . . . (sequitur aliud exemplum) . . . b2: πιθανὰ γάρ, διότι σύμβολα γίγνεται ταῦτα ἃ ἴσασιν ἐκείνων ὧν οὐκ ἴσασιν. Cf. b7: καὶ εὐθὺς εἰσάγαγε καὶ σεαυτὸν ποιόν τινα, ἵνα ὡς τοιοῦτον θεωρῶσιν, καὶ τὸν ἀντίδικον. Cf. III 7, 1408a19 in decorae elocutionis tractatione: πιθανοῖ δὲ τὸ πρᾶγμα καὶ ἡ οἰκεία λέξις. Nam οἰκεία, ut ex contextu intellegitur (cf. etiam 1408a31) Aristoteli eius est elocutio, qui apte ad naturam suam verba faciat. Quod autem ll. cc. non ἤθους, sed πάθους descriptio fit, haud ita interest, quoniam 1408a25 scriptor ipse dicit: καὶ ἠθικὴ δὲ αὕτη ἡ ἐκ τῶν σημείων δεῖξις [2]), ὅτι ἀκολουθεῖ ⟨ἑκάστῳ πάθει ἡ ἀνάλογον λέξις καὶ⟩ [3]) ἡ ἁρμόττουσα ἑκάστῳ γένει καὶ ἕξει, i. e. sive sanato hoc loco sive non sanato [3]) παθητικὴν et ἠθικὴν λέξιν paene non disiungit [2]). Praeterea non uno loco ἤθη κατὰ τὰ πάθη [3]) agnoscit; atque omnino affectus et mores diversi non sunt nisi gradu et tempore [4]).

Ceterum Aristoteles ll. cc. non modo sui ipsius, sed aliorum quoque, quorum in cursu orationis mentio fit, mores ad probabilitatem augendam depingere et subtiliter

---

[1]) Quorum utraque ut in ea quae sequitur parte anxie discerneretur, fieri non potuit.

[2]) Nam τὴν ἐκ τῶν σημείων δεῖξιν nihil aliud valere nisi παθητικήν (πάθος) Thurotium iam demonstrasse ex Roemeri praefatione p. XCIV video. Qui, quid disputaverit nescio; nec refert me nescire, quia rem ita sese habere unus ille locus 1417b2 (vide supra) planum facit.

[3]) cf. Roemer, p. XCIII—V, qui Aristoteli ἤθη κατὰ τὰ πάθη proferenda fuisse comprobat, itaque verba uncis inclusa addit, cum alii docti viri pro ὅτι tantum ὅτε scribant.

[4]) cf. Loening p. 104[24], qui apud Aristotelem interdum ἦθος et πάθος prorsus idem sonare contendit, Volkmann p. 273.

notare iubet. Addendum est III 16, 1417a22 [1]), ubi ἠθικῆς διηγήσεως alterum exemplum hoc traditur: ἄλλα ἠθικὰ τὰ ἑπόμενα [2]) ἑκάστῳ ἤθει, οἷον ὅτι ἅμα λέγων ἐβάδιζεν. Huc spectat etiam Anax. 84, 8 sq.: δεῖ δὲ μὴ σκώπτειν, ὃν ἂν κακολογῶμεν, ἀλλὰ διεξιέναι τὸν βίον αὐτοῦ· μᾶλλον γὰρ οἱ λόγοι τῶν σκωμμάτων καὶ τοὺς ἀκούοντας πείθουσι καὶ τοὺς κακολογουμένους λυποῦσι. τὰ μὲν γὰρ σκώμματα στοχάζεται τῆς ἰδέας ἢ τῆς οὐσίας, οἱ δὲ λόγοι τῶν ἠθῶν καὶ τῶν τρόπων [3]) εἰσὶν οἷον εἰκόνες [4]). Accedit Anax. 59, 18: ἂν δὲ ἀστεῖον γράφειν [5]) θέλῃς λόγον, παραφύλαττε ὡς μάλιστα, ὅπως τὰ ἤθη τῶν λόγων ὁμοιοῦν τοῖς ἀνθρώποις δυνήσῃ, quae praeceptio, utrum ad λογογράφους, an ad dialogorum scriptores spectet, dubito. Si vero spectat ad λογογράφους, sub voce ἀνθρώποις et illum qui habet orationem et alias personas, quae commemorantur in cursu orationis, intellegendas esse censeo [6]). Atque tali quam exsecuti sumus arte ἠθικῶς narrandi Lysiam [7]) prae ceteris floruisse notissimum est.

Deinde Aristotelem id quoque praescripsisse, ut orationes ad audientium animos et vitae consuetudinem aptarentur, quamvis III 7 sub decorae elocutionis praeceptis talia non tradat [8]), cum ex aliis locis, tum ex II 13, 1390a25 sq.

---

[1]) cf. ad hunc locum Roemer p. XCIII.

[2]) cf. sub παθητικῆς narrationis praeceptis 1417a37: λέγε διηγούμενος καὶ τὰ ἑπόμενα, quo ex consensu iterum ἤθους et πάθους cognatio apparet. Nec exempla utrobique addita non congruunt.

[3]) sc. τῶν κατηγορουμένων. Quod ut ex ipso sententiarum tenore cognosceres, totum locum exscripsi. Falso enim Nitschius l. c. p. 76 hic de moribus τοῦ λέγοντος agi sibi persuasit; quam ad coniecturam muniendam ante στοχάζεται vocem οὐ addere cogitur.

[4]) cf. Dionys. de Lys. 15, 15 Us.-R.: ... ὥστε εἰκόνας εἶναι δοκεῖν τῶν ἠθῶν τοὺς λόγους, quo loco Lysiae ἠθοποιΐα describitur. Ceterum animadversione dignum est et apud Anaximenem et apud Dionysium orationem cum signis comparari. Qualium comparationum magnam copiam collegit Brzoska: de canone decem oratorum Atticorum, diss. Vratisl. 1883, in epimetro p. 81 sqq.

[5]) λόγον γράφειν cf. 65, 4; 99, 7.

[6]) cf. Wendland p. 54 [1].

[7]) cf. etiam Dionys. de Lys. capp. 8—9.

[8]) cf. Radermacher, Rh. M. 54 p. 376.

elucet. Quodsi Victorio [1]) fidem tribuemus, tota morum descriptio, quae in altero rhetoricae libro locum habet, ideo a philosopho suscepta est, ut doceret „qualis oratio quomodoque morata adhiberi deberet diversis illis aetatibus aut fortunis persuadendis“.

Tertia Aristotelis praeceptio est, ut decora λέξις sit: ἀνάλογον τοῖς ὑποκειμένοις πράγμασιν III 7, 1408a10 sq. Docet autem philosophus nec de parvis rebus sublimiter nec de magnis leviter esse dicendum. Iam vero hoc praeceptum, tametsi Aristoteles, cum pro specie τοῦ πρέποντος habeat, ἠθικῇ λέξει [2]) non subicit, sed adiungit, ad ἦθος ῥητορικόν, quod posterius nominabatur, pertinere perspicuum est. Atque apud Aristotelem ipsum III 2, 1404b14 sq. species III 7, 1408 separatae confunduntur et in uno circuitu copulatae proponuntur: ἐν δὲ τοῖς ψιλοῖς λόγοις πολλῷ ἐλάττοσιν· ἡ γὰρ ὑπόθεσις ἐλάττων, ἐπεὶ καὶ ἐνταῦθα, εἰ δοῦλος καλλιεποῖτο ἢ λίαν νέος, ἀπρεπέστερον, ἢ περὶ λίαν μικρῶν (cf. iam v. 13 περὶ ἃ καὶ περὶ οὓς ὁ λόγος). Manifesto hic coniunctim disputatur de personis, quas profundo ore loqui non deceat et de rebus, quae sublimem dictionem non ferant.

Aristotelicam ἠθοποιΐας doctrinam, quantum λέξιν spectat, a Theophrasto ad perfectionem adductam esse, utpote qui disertis verbis iussisset, orationem ut decora fieret, etiam ad audientium ingenia accommodandam esse, Radermacherus Rh. M. 54 p. 376 ex Dionysii de Lysia cap. 9 [3]) conicit, ubi vim Theophrasteam detegere sibi videtur.

---

[1]) cf. Roemer praef. p. XCII. Sed Roemerus ipse secum reputans largissimum τοῦ ἤθους usum ad argumenta formanda fuisse, Aristotelem mores idcirco tam distincte explanasse persuasum habet, ut orator ex iis cognitis argumentorum copiam depromeret. Et hoc quamquam quin in parte verum sit, dubitari nequit (cf. etiam Anax. p. 37), attendendum tamen est Roemeri sententiae unum certe adminiculum ab Angermanno ereptum esse, qui p. 28 sqq. firmis argumentis efficit Quintilianum omnino non Rhetoricam Aristoteleam evolvisse, ita ut is locus (V 10, 15 sqq.), quo Roemerus maxime nititur, vilis sit.

[2]) vide III 7, 1408a25 sq. supra p. 62.

[3]) cap. 9; 16, 17 Us.-R.: οἴομαι δὲ καὶ τὸ πρέπον ἔχειν τὴν Λυσίου λέξιν . . . ὁρῶν αὐτὴν πρός τε τὸν λέγοντα καὶ πρὸς τοὺς ἀκούοντας καὶ πρὸς τὸ πρᾶγμα (ἐν τούτοις γὰρ δὴ καὶ πρὸς ταῦτα τὸ πρέπον) ἀρκούντως ἡρμοσμένην·

Eadem haec doctrina tripertita duobus locis Ciceronianis[1]) exprimitur, ubi *quid aptum sit, hoc est quid maxime deceat in oratione* (de orat. III 55, 210) recensetur. *Est autem*, inquit orat. 21, 71, *quid deceat oratori videndum non in sententiis solum, sed etiam in verbis. Non enim* usque quaque *eodem aut verborum genere* usurpandum esse *aut sententiarum semperque in omni parte orationis ut vitae quid deceat* esse *considerandum. Quod*, pergit, *et in re, de qua agitur, positum est et in personis et eorum qui dicunt et eorum qui audiunt.* 72. *Itaque hunc locum longe et late patentem . . . eloquentes (tractare solent) in omni et genere et parte causarum.*

Et revera Cicero itemque auctor ad H. duo priora saltem orationis decorae, ἦθος praestantis, praecepta (sc. ut primum ad nostram sive eorum de quibus agitur, deinde ad iudicum mores apte dicamus) in narratione verisimili explicanda significant. Cf. auct. ad H. I 9, 16: *verisimilis narratio erit, si ut mos, ut opinio, ut natura postulat dicemus . . .* Cic. de inv. I 21, 29: *probabilis erit narratio, . . . si res ad eorum qui agent naturam et ad vulgi morem et ad eorum qui audient opinionem accommodabitur.* part. or. 9, 32: *p. e. n. . . . si testata dici videbuntur, si cum hominum opinione auctoritate, si cum lege, cum more, cum religione coniuncta*[2]) (cf. etiam part. orat. 25, 90). top. 26, 97 *morata narratio* praecipitur.

In libris autem de oratore[3]) Cicero non semel admonet, quanti momenti in tota oratione ἦθος sit. cf. II 43,184, ubi Antonius: *horum (reorum)*, inquit, *exprimere mores oratione iustos integros religiosos timidos perferentis iniuriarum mirum quiddam valet; et hoc vel in principiis vel in re narranda vel in perorando tantam habet vim, ... ut saepe plus quam causa valeat.* Porro II 49, 201 conqueritur, quod ἦθος et πάθος minime praeceptis artium sint expolita. Accedit quod

---

[1]) orat. 21,70 sqq.; de orat. III 55,210 sq.

[2]) Quamquam partim hic locus etiam ad probitatem demonstrandam referri potest. Nempe haec de quibus agimus praecepta et aequitatis quodammodo inter se cohaerent.

[3]) Locos e libris de oratore citatos Krollio p. 578[1], 582[2] debeo.

Crassus I 11,48 et maxime 15,69 vitam et mores hominum oratori perdiscenda esse docet.

Denique Cicero, *ut ad id quodcumque agetur* (i. e. ad rem) *apte congruenterque dicamus* (de orat. III 10,37), si minus sub narrationis praeceptis, certe sub elocutionis saepius postulat (cf. de orat. III 10,37; 14,53; 55,211; orat. 21,72; 35,123).

Iam vero ea Aristotelis verba, quae supra (p. 64) decerpta subsequuntur, in conspectu ponere placet: 1404b 18 διὸ δεῖ λανθάνειν ποιοῦντας, καὶ μὴ δοκεῖν λέγειν πεπλασμένως, ἀλλὰ πεφυκότως (τοῦτο γὰρ πιθανόν, ἐκεῖνο δὲ τοὐναντίον· ὡς γὰρ πρὸς ἐπιβουλεύοντα διαβάλλονται, καθάπερ πρὸς τοὺς οἴνους τοὺς μεμιγμένους) . . . . Quis est, qui neget haec omnia ad ἦθος pertinere?! Si quis negaverit, eum ad anon. Seg. § 94 (18,17 G.) relego: ποιεῖ δὲ πιθανότητα καὶ τὸ τοῦ λέγοντος ἦθος . . ., εἰ ἄπλαστον φαίνοιτο. Ac ne illi quidem Dionysii de Lys. [1]) loci silentio praetereundi sunt: 30,4 τὴν πίστιν ἅμα λεληθότως[2]) συνεπιφέρουσιν (αἱ Λυσίου διηγήσεις) et 30,7: τοσαύτην ἔχει πειθὼ τὰ λεγόμενα καὶ οὕτως λανθάνει τοὺς ἀκούοντας εἴτε ἀληθῆ ὄντα εἴτε πεπλασμένα. Cf. etiam Philod. Rhet. I 200,8 sq. S. τοὺς δὲ νῦν . . . . ὁρῶμεν . . . ὅταν ἦθος ἐμφαίνειν θέλωσι, κοιλοφώνως καὶ πεπλασμένως λαρυγγίζοντας.

Cum Aristotelis autem loco proxime laudato Ientschius l. c. p. 55 iure Cic. orat. 26,89 confert: *vitabit* (orator) *etiam quaesita nec ex tempore ficta, sed domo adlata* etc. Item in anonymo Seg. in narrationis descriptione § 97 (19,7 G.) docetur: ποιεῖ δὲ πειθὼ καὶ λέξις ἀνεπιτήδευτος καὶ τὸ αὐτοσχέδιον ἐμφαίνουσα. Confestim § 98 addo: ποιήσεις δὲ πιθανότητα καὶ ἐὰν μὴ πάντα βεβαιῶν λέγῃς, ἀλλὰ προστιθῇς τὸ οἶμαι καὶ τάχα καὶ ἴσως καὶ τὰ τοιαῦτα. Quibus cum paragraphis mirifice papyrus[3]) quaedam nuper fortunae beneficio inventa consentit v. 2 sqq: καὶ αἴ κ' ἐν τᾷ λέξει τᾷ ⟨κατ'⟩ ἀρχὰς τᾶν ἐφόδων μὴ γεγραμμέναις δοκῇ χρῆσθαί τις, ἀλλὰ ἰδιωτικαῖς καὶ μηδὲν ὡς

---

[1]) cf. Dionys. de Isaeo cap. 16, p. 114 Us.-R.

[2]) cf. insuper Arist. 1417b 8: λανθάνων δὲ ποίει sc. τὸ ἦθος ostentans.

[3]) The Oxyrhynchus papyri III p. 27 sqq. No. 410. Huius papyri doctrinam ad quartum saeculum referendam esse Angli editores et Wendlandius p. 39[8] coniciunt.

ἀκριβέως εἰδώς, ἀλλ' ὡς οἰόμενος καὶ ἀκακοὼς λέγῃ . . . . ἐν μὲν προοιμίοις ταῦτα χρήσιμα εἰς ἐπιείκειαν ἔντι. Quod vero haec praecepta in prooemio exstant, non interest. Namque quantum momenti papyri auctor etiam narrationi ex tempore et sine scripto habitae vel quae talis esse videatur attribuerit ex vv. 114 sq. cognosci potest [1]: κοινὸν δέ [ἐστι ποτὶ] πιθανότητ[α τοῦτο· οἷ]ον γὰρ μὴ ἐπιβε[βω]λεύκημεν (cf. Arist. lc. 1404 b 20), ἀλλ' αὐτοσχεδιάζειν τὸ ἐπιλελᾶσθαι· ἔστι δὲ ὄκα τὰ τοιαῦτα ποτιποιέο [2]).

Item apud auctorem ad H. et Ciceronem frequenter oratio nimis apparatis verbis composita ut suspiciosa et fidem abrogans vetatur: cf. auct. ad H. I 7,11 = Cic. de inv. I 18,25; auct. ad H. I 10,17; II 30,47 = Cic. I 52,98; Cic. part. or. 6,19; cf. Brut. 37,139. Haec habui, quae περὶ ἤθους (et πάθους) dicerem.

Nec tamen neglegendum est perfidum [3]) illud Anaximenis 73,1 (cf. 92,1): ὅσα δὲ ἂν λίαν ἄπιστα συμβαίνῃ, δεῖ παραλείπειν etiam apud Ciceronem de inv. I 21,30 et de orat. I 81,330 (cf. part. or. 35,121) sub narrationis praeceptis tradi [4]).

Postremo monendum esse videtur Theodoreos solam probabilitatem pro necessaria narrationis virtute habuisse [5]), ceteras partes ab aliis narrationi subiectas totius orationis communes esse affirmasse. Atque alii quoque scriptores [6]) narrationis praecepta per totam orationem adhibenda esse statuerunt, quamquam ea narrandi magis propria esse censuerunt, excepto Cicerone (Antonio), qui de orat. II 19,83 contrariam sententiam profert: *quod haec* (sc. tria praecepta)

[1]) Sententiarum contextus non prorsus dilucidus est, quoniam antea nonnulla exciderunt.

[2]) Auctorem hic de narratione loqui ex versibus 15,80,83 planum fit.

[3]) Alia quae in nostra rhetorica commendantur artificia astuta et fraudulenta, collegit Ipfelkofer p. 24.

[4]) cf. praeterea anon. Seg. § 45 et 108 et illum luculentissimum librorum de oratore locum II 72,294, ubi praeteritio rerum molestarum in argumentatione ab Antonio suadetur.

[5]) cf. anon. Seg. § 103, Schanz p. 49.

[6]) Cic. de orat. II 19,83; 80,329; part. or. 9,31; top. 26,97; Dionys. de Demosth. 205,13 sq.

narrationis magis putant esse propria quam totius orationis, valde mihi videntur errare. Sed de orat. II 80,329 Antonius quoque idem praedicat quod ceteri, ita ut sibi ipse adversetur[1]).

De confirmatione.

Ac primum quidem ad **generis deliberativi** confirmationem (Graece βεβαίωσιν) transeamus. Cui generi quasi fundamenta Anaximenes supposuit illa τελικὰ κεφάλαια, e quibus haec habet p. 13: δίκαιον, νόμιμον, συμφέρον, καλόν, ἡδύ, ῥᾴδιον, δυνατόν, ἀναγκαῖον (cf. p. 35,9; p. 75,2 sq. saepius). Horum numerum Aristoteles contraxit (cf. I 3,1358b 22 sq.), qui quidem generis deliberativi τὸ συμφέρον proprium esse statuit, τὸ δίκαιον et καλὸν quamvis minus necessaria — haec enim magis in alia duo genera cadere — assumpsit. Praeterea philosophus addidit τὸ δυνατὸν[2]) (καὶ ἀδύνατον), quod omnibus generibus commune esse censet, cui τὸ ῥᾴδιον subicit[3]).

Iam vero Cicero, qui in genere iudiciali *aequum*, in genere demonstrativo *honestum* ut finem constituit, Aristotelem secutus (cf. II 4, 12), in deliberationibus ab illo recedit, cum II 51, 156: *in deliberativo (genere)*, ait, . . . *Aristoteli placet utilitatem* (sc. *finem esse*), *nobis et honestatem et utilitatem*[4]). Similiter in libris de orat. Antonium iudicantem facit II 82, 335, cum Crassus I 31, 141 in illo vulgaris rhetoricae compendio perinde atque Aristoteles utilitatem solam ad genus deliberativum trahit. Nec Cicero ipse in part. or. 24, 83 et in topicis 24, 91 ad illius doctrinam non rediit. Quamquam in partitionibus oratoriis honestate non plane supersedit, cum 25, 89 sq. haud secus atque in libris de orat. II 82, 335 (cf. auct. ad H. III 5, 8—9) non solum crebrius utilitatem cum honestate certare monet, sed etiam praecepta in utramque partem disserendi suppeditat. Deinde in libris de inv. II 52, 158 Cicero utili-

[1]) Scilicet Cicero alio loco alio e fonte haurit.
[2]) I 3,1359 a 15 et praecipue II 18.
[3]) cf. I 6,1363 a 21 et obiter II 23,1399b 34.
[4]) Hanc novam disciplinam Krollius, Rh. M. 58, p. 593[1] ab Panaetio et Posidonio pendere suspicatur.

tati et honestati adicit *necessitudinem* (et *adfectionem*), tum unicuique rei multas particulas, sive virtutes sive bona subicit. In quo satis memorabile est, quod de utilitate postquam egit, haec adnectit II 56, 169: *atque in iis omnibus, quae ante dicta sunt, quid fieri et quid facile fieri* (i. e. τὸ δυνατόν et τὸ ῥᾴδιον) *possit, oportet considerare*[1]). Nam haec verba apud Aristotelem sic legis I 6, 1363a21: ταῦτα (sc. τὰ δυνατά) δὲ διχῶς ἐστιν τά τε γενόμενα ἂν καὶ τὰ ῥᾳδίως γιγνόμενα. Cf. porro 1359a32: ὅσα δὲ ἐξ ἀνάγκης ἢ ἔστιν ἢ ἔσται ἢ ἀδύνατον ἢ εἶναι ἢ γενέσθαι, περὶ δὲ τούτων οὐκ ἔστι συμβουλή, cum Cic. de orat. II 82, 336: *Inciditur enim omnis deliberatio, si intellegitur non posse fieri aut si necessitas adfertur* (idem part. or. 24, 83). Accedit, quod ea, quae Cicero de inv. II 54, 165 (cf. auct. ad H. III 3, 6) et part. or. 23, 81 disputat de iis vitiis, *quae virtutem imitantur*, mihi quidem vim Peripateticam redolere videntur: cf. e. g. Eth. Nic. II 7—8; Rhet. I 9, 1367a32 sqq. Quae congruentiae vix explicari poterunt, nisi statuemus Ciceronem e Peripateticorum copiis sua mutuatum esse[2]).

Nec Tullius ab Anaximene alienus est, quocum in *facili* definiendo satis concinit. Cf. de inv. II 56, 169: *Facile autem id dicemus, quod sine magno aut sine ullo labore, sumptu, molestia quam brevissimo tempore confici potest*, cum Anax. 14, 21: ῥᾴδια τὰ μετὰ ἐλαχίστου χρόνου καὶ πόνου καὶ δαπάνης ἐπιτελούμενα[3]). Ex iis ergo quae antecedunt Ciceronem in libris de inventione ut Aristotelem τὸ καλόν, συμφέρον, δίκαιον, ῥᾴδιον, δυνατόν, ἀναγκαῖον agnovisse in promptu

---

[1]) cf. part. or. 24, 84 et de orat. II 82, 336.

[2]) cf. infra p. 73. Sed animadvertendum est has fictas virtutes ab auctore ad H. III 3, 6 propterea in conspectu poni, ut *in contrariis potius rebus quam in his* (sc. quae adversarius dicit) *virtutem constare* ostendamus, a Cicerone autem ob eam causam, ut quid nobis vitandum sit haud ignoremus, cum Aristoteles eas in meliorem partem relatas a laudationibus non alienas esse putet (v. 1367a32 sq.). Scilicet posterior rhetorica, in qua philosophia aliquantum valebat, priorem doctrinam ut turpem tradere non audebat.

[3]) cf. etiam Aristot. 1363a23. Atque hic consensus fortasse inde repetendus est, quod eadem res eandem locutionem traxit.

est. Nec in aliis scriptis — cf. de orat. II 81, 333 sq. et part. or. 24, 83 sq. (top. 23, 89) — plane aliam doctrinam praebet[1]). Quamquam in libris de oratore, ut eorum indoli respondet, larga illa partium et particularum enumeratione relicta, tractationem[2]) ipsam, quam in Rhetoricis prorsus neglexerat, proponere et expedire satis habuit. Rursus in part. or. 24, 83 sqq. et bonorum enumeratio fit et totius generis tractatio docetur.

Denique auctor ad H., etsi utilitatem solam iis qui *sententiam dicent* (III 2, 3) expetendam esse affirmat, illam ipsam in duas partes dirimit: 1. *tutam* (i. e. χρήσιμον et ἀναγκαῖον, sic Volkmann p. 301), 2. *honestam*, quam perinde atque Cicero in libris de inventione in quattuor virtutes partitur, quas postea diligentius percensebimus. Sed nunc iam commemoro in virtutum numero iustitiam non deesse, ita ut auctorem quoque ad H. τὸ δίκαιον non deseruisse perspicuum sit.

Apparet igitur etiam recentiores artium scriptores τὰ τελικὰ κεφάλαια satis respexisse — quod quidem ipsa rerum natura flagitabat —, nec tamen in Anaximenis modum adiunxisse, sed potius aliud alii supposuisse.

Quod vero ad deliberationum tractationem ipsam attinet, Aristoteles et Anaximenes non solum similem iis materiam subiciunt[3]), sed etiam eo congruunt, quod duas consultationum species statuunt: unam, in qua ipsis rebus fides additur vel demitur, alteram, in qua eas utiles, iustas etc. esse comprobatur vel denegatur. Cf. Anax. 74, 7 sq., 24 sq.; Arist. 1417b34 sq. Quae doctrina quin ad status faciat, non dubium est. Quod autem Anaximenes in priore specie 74, 7 sq. πίστεις οἰκειοτάτας ταῖς δημηγορίαις usurpare iubet, ut πραγμά-

[1]) cf. Heinicke p. 68.

[2]) Separatim § 339, ubi Antonius quae medicinae adhibendae sint populo adversam acclamationem edente exponit, cum Anax. c. 18, ubi προκατάληψις describitur, contendere non e re erit. cf. etiam Anax. c. 18, p. 53, 23: ἐὰν δὲ τὸ πλῆθος θορυβῇ ... σαυτῷ ἐπίπληξον et Arist. 1408b 2: ἄκος δὲ ... τὸ θρυλούμενον· δεῖ γὰρ αὐτὸν αὑτῷ προσεπιπλήττειν; ad quem Aristotelis locum cf. Diels, A. A. B. 1886, p. 26.

[3]) cf. Wendland p. 65.

των ἔθη, παραδείγματα, [ἐπ]ενθυμήματα, δόξαν τοῦ λέγοντος, de hac sane re apud Aristotelem altum silentium est, nisi quod 1418a1 τὰ παραδείγματα δημηγορικώτατα (cf. 1368a29) esse ait. Sic auctor quoque ad H. III 3, 4; 5, 9; Cicero de orat. II 82, 335; part. or. 17, 58; 27, 96 in genere deliberativo exempla cum utilitate usurpari admonent.

Quid autem causae sit, cur in reliqua huius generis expositione Latini scriptores, qui ipsi multa communia habent, magis quam in aliis generibus a Graecis discrepent, explicatione vix eget. Per se enim consentaneum Romanos in consultationibus sua et propria praecipere.

Sequitur, ut in **rationem bona et virtutes dividendi,** qua diversi auctores utuntur, inquiram. Hanc enim disquisitionem hoc loco inserendam esse putavi, quia in utrumque genus et deliberativum et demonstrativum quadrat. Veluti omnes auctores de virtutibus in his duobus mentionem faciunt. Quae cum ita sint, non mirabimur, quod Antonius de orat. II 81, 333: *neque sane,* inquit, *iam causa videtur esse, cur secernamus ea praecepta, quae de suasionibus tradenda sunt aut laudationibus. Sunt enim pleraque communia.* Similia apud Aristotelem 1367b36 exstant: ἔχει δὲ κοινὸν εἶδος ὁ ἔπαινος καὶ αἱ συμβουλαί etc. Philodemus autem I 212 S. τοὺς ἐπαίνους καὶ ψόγους ita definit, ut tibi cohortationum definitionem legere videaris: τὰ δὲ (sc. περὶ τοὺς ἐπαίνους καὶ ψόγους ἔφασαν) ἐπὶ τὰς ἀρετὰς προτρέπειν καὶ τῶν κακιῶν ἀπαλλάττειν [1]).

Atque principalis bonorum divisio eaque tritissima et per totam antiquitatem valde usitata ita est tripertita, ut distinguantur 1. animi, 2. corporis bona, 3. res externae [2]). Nec igitur apud Isocratem (VI 105) nec apud Platonem [3]) nec apud

[1]) cf. etiam de orat. II 9, 35; Kroll, Rh. M. 58 p. 567.

[2]) cf. Spengel ad Arist. 1360b25, p. 90—91; Arleth: Die metaphysischen Grundlagen der Arist. Ethik, Prag 1903, in appendice p. 62sqq., qui vir doctus cum omnino de bonorum generibus ab Aristotele statutis agit, tum illius bona tripertito dividendi rationis multa exempla affert, Kayser in commentario p. 272, Mutschmann p. 1—2, 60, (div. 1 [5], [56]).

[3]) cf. exempla a Spengelio et Mutschmanno congesta.

Anaximenem desideratur, qui p. 14 (cf. 104) τὸ συμφέρον dispertit in σῶμα, ψυχήν, τὰ ἐπίκτητα. Quod vero p. 80 τὰ ἔξω τῆς ἀρετῆς, qua in specie etiam corporis bona versantur, et ipsam ἀρετήν discernit[1]), hanc mutationem generis demonstrativi proprietati respondere Wendlandius (p. 55) mihi persuasit.

Aristoteles autem, qui ipse quoque vulgarem de bonis trifariam dividendis doctrinam celebrat, in Rhetoricis, quae imprimis contemplamur, postquam I 5, 1360 b 19—23 primo silvam quandam bonorum, quae μέρη τῆς εὐδαιμονίας vocat, nobis obtulit, statim 1360 b 24 sq. hanc divisionem tali modo praebet, ut habeat: τὰ ἐν αὐτῷ (ἀγαθά), cuius partis ipsius particulae sunt 1. τὰ περὶ ψυχήν, 2. τὰ ἐν σώματι et τὰ ἐκτὸς ἀγαθά[2]). Porro philosophus I 6, 1362 b 10 sq.[3]) ἀρετὰς ψυχῆς, deinde σώματος enumerat, tum complura externa bona proponit, tametsi nomen (sc. τὰ ἔξω sive τὰ ἐκτός) hic non occurrit.

Nec in Latinis scriptis eadem τὰ ἀγαθά tripertito distribuendi ratio deest. Auctor enim ad H. III 6, 10 res externas, corporis, animi bona distinguit[4]). Item Cicero de inv. II 52, 177; de orat. III 29, 115; part. or. 10, 35; 11, 38 (24, 87); top. 23, 89 (22,83). Quin etiam illa bipertita distributio[5]), quam Anaxi-

---

[1]) cf. Arist. Pol. 1323 b 27—29; Eth. Eud. II 1, 1218 b 32, Zeller, Hermae XV 1880 p. 554 sq.

[2]) Similis bipertita divisio apud Stobaeum II 122, 10 W. Peripateticis tribuitur. Quae ceterum cognata est illi, qua τὰ δι' αὑτό, τὰ δι' ἄλλο τι αἱρετά seiunguntur. cf. Stobaeum II 56 W. et infra, adn. 5.

[3]) Hunc locum luculentum, si respexisset, Arlethium de aliquot rebus secus iudicaturum fuisse opinor.

[4]) Similiter, sed strictim II 30, 48; IV 31, 42.

[5]) cf. etiam de inv. II 52, 157 sqq. (similiter part. or. 24, 86—87). Namque ibi in generis deliberativi tractatione tria genera rerum expetendarum invehuntur: 1. *quod sua vi nos adliciat ad sese . . . quod genus virtus, scientia, veritas.* 2. *aliud . . . , propter fructum atque utilitatem petendum; quod genus pecunia est.* 3. *Quiddam ex horum partibus iunctum . . . ut amicitia, bona existimatio.* Iam vero in primo genere 53, 159—54, 165 virtutes subtiliter perlustrat, tertio generi, *quod tamen honestum vocamus,* II 55, 166 *gloriam, dignitatem, amplitudinem, amicitiam* attribuit, cum alterum, quod utilitatem complectitur, II 56, 168 aut *in corpore* aut *in extrariis rebus* positum esse ait. Atque § 168 praeter

menes generi demonstrativo vindicat, in hoc genere apud Latinos invenitur. cf. auct. ad H. III 7, 13—14; Cic. de orat. II 11, 46; 84, 342. Denique Aristotelis partitio in τὰ ἐν αὐτῷ et τὰ ἐκτός, quam Rhet. I 5 adhibet, apud Ciceronem in libris de fin. V 13, 37—38; 23, 68 obviam fit.

Dein virtutum divisio a Cicerone de orat. II 84, 343 (Ant.) et part. or. 22, 76 adhibita, qua aliae *in moribus hominum*, aliae *in ingenii aliqua facultate* positae esse dicuntur, plane cum Peripateticorum disciplina convenit. Namque notissimum est illos ἀρετάς in ἠθικάς et διανοητικάς digessisse[1]). Tum ea quae Cicero de orat. II 84, 344, 346 (Ant.) de altera virtutum parte magis quam altera[2]) laudanda praecipit, satis cum Aristotele 1366b[3]) concinunt.

Nunc singula comparabo. Qua in re non omnes locos apud quattuor illos aliosque scriptores ad bonorum et virtutum partitionem pertinentes exscripsi, sed multos citavi tantum,

---

alias res etiam *pecunia (excellens pecuniae magnitudo), socii* sive *amicitiarum ac societatum multitudo* emergunt. Nec igitur in hac divisione, quamvis non uno loco confusa, antiquae illius doctrinae vestigia non perspiciuntur. Ipsa autem varietas, quae h. l. apparet, quae ad genus deliberativum accommodata esse videtur, me iudice ex Peripateticis originem duxit, qui discrimen facerent inter τὰ καθ' αὑτά et δι' ἄλλο τι αἱρετά — cf. e. g. Top. III 1, 116a29 (149b38); Eth. Nic. 1096b13—14; 97a31—34; Stob. II 56 (cum Wachsmuthii nota) et 135, 1—10 (cf. Loening p. 45) — deinde inter τὰ καθ' αὑτά et ποιητικά — cf. Rhet. I 6, 1362a22; I 7, 1363b 13 (Stob. II 54, 4 W); cf. etiam Stob. II 135, 1, 8—10: τὰ μὲν καθ' ἑαυτά, τὰ δὲ δι' ἕτερα . . . τὰ δὲ ὠφέλιμα δι' ἕτερα· τῷ γάρ ποιεῖν ἕτερα καὶ σῴζειν τῶν αἱρετῶν ὑπάρχειν —. Quae partitio (inter τὰ καθ' αὑτὰ et ποιητικά) apud Stoicos revertitur (cf. Stob. II 72, 16) et proxime accedit ad Cic. de inv. II 52, 157, quem locum nunc tractamus et ad part. or. 24, 86.

[1]) cf. Eth. Nic. II 1 init. (atque in libr. II—V omnino virtutes ἠθικαί, in libro VI διανοητικαί exponuntur); Eth. Eud. II 1, 1220a4 sqq.; II 4, 1221b sqq.; M. M. I 4. 1185b5 sq., alias (Loening p. 9[23]). Similem distinctionem Panaetius (et Posidonius) adhibuisse fertur. cf. Schmekel, die Philosophie der mittleren Stoa, Berl. 1892 p. 215 sqq., (p. 271 sqq.).

[2]) Sed satis memorabile est, quod in M. M. I 4, 1185b9—11 aliter atque in Eth. Nic. I 13, 1103a4 et Eud. II 1, 1220a5 virtutes dianoeticae omni laude carere dicuntur. cf. Zeller, G. d. Ph. d. G. II 2[2] p. 942[3], Loening p. 125[4].

[3]) cf. ad hunc locum Loening p. 321—2.

non totos excerpsi. Diligentius autem Aristotelis rhetoricae, Anaximenis, auctoris ad H., Ciceronis de inventione librorum rationem habui.

Corporis virtutes diversi auctores has suppeditant:

Arist. I 5	Anax. 14	auct. III 6	Cic. II 59
ὑγίεια	ῥώμη	*velocitas*[1]	*valetudo*
κάλλος	κάλλος	*vires*	*dignitas*
ἰσχύς	ὑγίεια	*dignitas*	*vires*
μέγεθος	Anax. 80	vel *forma*	*velocitas*
δύναμις ἀγωνιστική	ῥώμη	*valetudo*	
	κάλλος		
Arist. I 6	Anax. 104		
ὑγίεια	εὐεξία		
κάλλος	κάλλος		
καί τὰ τοιαῦτα	ῥώμη		
	ὑγίεια		

Item Plato ἰσχύν, κάλλος, ὑγίειαν pro palmaribus corporis virtutibus habet, id quod ex exemplis apud Mutschmannum p. XXIX oblatis efficitur. Praeterea laudo διαιρέσεις[2]) 1 [5], [56], Arist. Eud. frg. 45 (p. 50; 51, 23—25 R.): νόσος, ἀσθένεια, αἶσχος et ὑγίεια, κάλλος, ἰσχύς saepius; Top. 116b18: ὑγίεια, κάλλος, ἰσχύς; Top. 118b21; M. M. 1184b3: ὑγίεια, κάλλος; Eth. Nic. 1104a14; Eud. 1248b23 sq.: ἰσχύς, ὑγίεια, (quae Eudemus disertis verbis appellat: ἀγαθὰ μέν, ἐπαινετὰ δ' οὔ); Stob. II 122, 21—3; 136, 12 W., ubi doctrina Peripatetica exprimitur; Cic. part. or. 10, 35: valetudo, figura, vires, 24, 87: vires, forma, valetudo.

At non paucis locis inprimis in genere epidictico[3]) corporis bona externis circumdata leguntur[4]), vel certe una cum

[1]) cf. e. g. Plat. leg. I 631 C: ὑγίεια, . . . κάλλος, . . . τὸ δὲ τρίτον ἰσχὺς εἴς τε δρόμον καὶ εἰς τὰς ἄλλας πάσας κινήσεις τῷ σώματι; Xenoph. Ages. V 5 κάλλιστος, ἰσχυρότατος, τάχιστος; Stob. II 122, 21 W: ὑγίεια, κάλλος, ἰσχύς, ποδώκεια, εὐεξία, εὐαισθησία; Arist. Eth. Nic. 1101b16. Ceterum apud auctorem ad H. III 7, 14 ipsum in tractatione *vires atque velocitas* coniunguntur.

[2]) Mutschmann p. 1—2, p. 60.

[3]) cf. supra p. 72 sq., infra p. 89.

[4]) Qua de re Spengelius p. 90 Arist. 1360b solum respiciens miratur.

eis afferuntur. Veluti apud Anax. p. 80 εὐγένεια, κάλλος, ῥώμη, πλοῦτος subsequuntur; quae eadem quattuor bona apud [Isocr.] I 6—7 commiscentur[1]). Similia inveniuntur apud Arist. Rhet. 1360b19—24 et postea in ipsa singulorum bonorum definitione et explicatione b31sqq. Cf. Eth. Eud. VIII 15, 1248b28 sq.: τιμή, πλοῦτος, σώματος ἀρεταί, εὐτυχίαι, δυνάμεις; M. M. I 2, 1183b28; Eth. Nic. I 10, 1099b3. Optima huius rationis corporis et externa bona coniungendi exempla etiam Romani in generis laudativi expositione praebent; cf. auct. ad H. III 7, 13: genus, educatio, dignitas ac forma, vires, valetudo, divitiae, potestas, gloriae, amicitiae. Cic. de orat. II 11, 46: genus, pecunia, propinqui, amici, opes, valetudo, forma, vires, ingenium; II 84, 342: genus, forma, vires, opes, divitiae + potestas, pecunia.

Itaque tres certe virtutes, quae plurimi nimirum aestimabantur, apud omnes auctores constant: ὑγίεια = valetudo; κάλλος = dignitas, forma (figura); ἰσχύς vel ῥώμη = vires.

Bona externa praeter ea, quae proxime cum corporis virtutibus consociata enumeravimus, singuli auctores haec porrigunt:

Anax. p. 14	p. 80	p. 104
φίλοι	εὐγένεια	χρήματα
χρήματα[2]) } κτήματα	πλοῦτος	φίλοι

Addenda sunt:

I. τὰ πόλει συμφέροντα (14,14)	II. τὰ καλά (14,18)
ὁμόνοια	εὐδοξία
δύναμις πρὸς πόλεμον	τιμὴ ἔνδοξος
χρήματα[3]) καὶ προσόδων εὐπορία,	
συμμάχων ἀρετὴ καὶ πλῆθος	

[1]) cf. Wendland p. 93, qui cum hoc Demoniceas loco Arist. frgm. 57 (p. 67, 21 R) comparat.

[2]) cf. Wendland p. 94, 98[1].

[3]) Recte fortasse Fuhrius, B. ph. W. 1904 p. 1597 χρημάτων corrigit.

Ex Isocrate autem hos locos praedico V 144; XIX 7, 36; ex Platone nunc quidem tantum Phaedr. 239E—240A, Euth. 279 B. Apud Aristotelem exstant:

1360b20	1360b26	1362b18
εὐγένεια	εὐγένεια	πλοῦτος
πολυφιλία	φίλοι	φίλος, φιλία
χρηστοφιλία	χρήματα	τιμή, δόξα
πλοῦτος	τιμή	δύναμις τοῦ λέγειν, τοῦ πράττειν
εὐτεκνία	+	εὐφυΐα
εὐγηρία	δυνάμεις	μνήμη
+	τύχη	εὐμάθεια
δόξα		ἀγχίνοια
τιμή		πάντα τὰ τοιαῦτα
εὐτυχία		ἐπιστῆμαι
		τέχναι
		τὸ ζῆν
		τὸ δίκαιον[1])

Aristoteles ergo 1360b20 magnam vim externorum bonorum affert. Quae postquam b26—30 iterum, sed nonnullis omissis enumeravit, b31 sqq. latius expedit ordine tamen inverso[2]). Tum I 6[3]) aliquot alias res addit, quae magnam partem ad animi facultates[4]) spectant. Item Cicero part. or. 22, 74 facultates una cum fortunis in rebus externis ducit, cum de orat. II 11, 46 (Ant.) *ingenium* corporis virtutibus assignare videatur[5]). Plerumque tamen Stagiritam ἐπιστήμας

---

[1]) Haec vox Spengelio et Roemero optimo iure interpolationis suspicionem movet.

[2]) De hac re cf. Spengel in comm. p. 89.

[3]) Res inde a versu 1362b17 allatas inter τὰ ἔξω ἀγαθά habenda esse, etsi Aristoteles non dicit, et per se evidens est et virtutibus animae et corporis brevi ante absolutis evincitur.

[4]) cf. Rhet. 1389a1: τύχην δὲ λέγω εὐγένειαν καὶ πλοῦτον καὶ δυνάμεις. cf. etiam sis Eth. Eud. 1248b29.

[5]) cf. Kroll, Rh. M. 58 p. 573[2].

et δυνάμεις, quas in Rhet. I 6 partim in rebus externis habet, non solum inter τὰ ψυχικά, sed etiam inter virtutes sc. dianoëticas numerare probabile est[1]. Cui sententiae Cicero quoque plerisque locis se addicit. Cf. imprimis de orat. II 84, 343; part. or. 10, 35; 23, 80. Hoc autem loco, quem postremum allegavi, reliquis virtutibus peractis etiam alii quidam animi habitus ad virtutem quasi praeculti et praeparati rectis studiis et artibus breviter tractantur. Ac de eloquentia quidem, quam Aristoteles 1362b22 in bonis externis ducit, cf. Merchant p. 57, Kroll p. 558, 580, 587³, 594.

Bona extranea Aristoteles vel alii Peripatetici enumerant e. g. etiam Pol. 1283a16; 1291b28; 1296b18; 1317b39; 1323a37; Eth. Eud. 1214b8; 1249a10; M. M. 1184b3; 1207b30, quibus novem locis πλοῦτος omnibus, εὐγένεια vel γένος 5, ἀρχή vel δύναμις 4, παιδεία 4, τιμή 3, δόξα 3, ἐλευθερία 2 occurrit. Cf. Stob. II 129, 15 W.: εὐγένεια, πλοῦτος, δόξα, εἰρήνη, ἐλευθερία, φιλία; 136, 14[2]: ἐκτὸς δὲ (ἀγαθὰ) εἶναι πλοῦτον καὶ δόξαν καὶ εὐγένειαν καὶ δυναστείαν καὶ φίλους καὶ συγγενεῖς καὶ πατρίδα, quibus locis de Peripateticorum disciplina agitur. Denique velim conferas διαιρέσεις 1 [5], [56].

Romani autem has res externas in conspectu ponunt:

auct. ad H. III 6, 10	Cic. de inv. II 59, 177[2]
genus	*honos*
educatio	*pecunia*
divitiae	*adfinitas*
potestas	*genus*
gloriae	*amici*
civitas	*patria*
amicitiae	*potentia*

Cf. praeterea de inv. I 16, 22 (similiter auct. ad H. I 5, 8), II 52, 157 sqq., ubi saepius bona externa digeruntur (supra p. 72⁵), part. or. 10, 35: *genus, amicitiae, liberi, propinqui,*

[1]) cf. Zeller II 2³ p. 649².

[2]) Valde notabile est, quod apud Stob. 136, 14 W. et apud Cic. de inv. II 59, 177 (v. supra) omnino eadem septem bona exstant, fere eadem apud auctorem ad H. III 6, 10.

affines, opes, honores, potestates, divitiae, libertas; part. or. 24, 86—87, ubi discrimen fit inter bona *necessaria*: *ut vita, pudicitia, libertas, ut liberi, coniuges, germani, parentes* et *non necessaria ut opes, copiae + honos, gloria + nobilitas, divitiae, clientelae + amicitiae*[1]).

Atque ex tanto bonorum numero nonnulla tamen apud omnes auctores iterantur sc. haec fere: εὐγένεια (γένος) = genus; φιλία = amicitiae; πλοῦτος (χρήματα) = divitiae (opes, pecuniae); δόξα, εὐδοξία, τιμή = bona existimatio, gloria, honos.

Sed agedum transeamus ad animi virtutes enarrandas:

Arist. I 6,1362b 12	Anax. 14	auct. ad H. III 2,3 = 6,10
δικαιοσύνη	ἀνδρεία	*prudentia*
ἀνδρία	σοφία	*iustitia*
σωφροσύνη	δικαιοσύνη	*fortitudo*
μεγαλοψυχία	Anax. 80,83	*modestia*
μεγαλοπρέπεια	σοφία	Cic. II 53,160
I 9,1366b 1	δικαιοσύνη	*prudentia*
δικαιοσύνη	ἀνδρεία	*iustitia*
ἀνδρία	ἐπιτηδεύματα ἔνδοξα	*fortitudo*
σωφροσύνη	Anax. 104	*temperantia*
μεγαλοπρέπεια	σοφία	
μεγαλοψυχία	φρόνησις	
ἐλευθεριότης	ἀνδρεία	
πραότης	σωφροσύνη	
φρόνησις	δικαιοσύνη	
σοφία		

[1]) Haec deinceps attuli Ciceronis subtilem distributionem aspernatus; quae valde confusa est et composita ex nescio quot membris. Nam principalis partitio (cf. etiam Merchant p. 59) in bona *necessaria et non necessaria* cum illa Peripatetica quodammodo comparari potest, qua τῶν ἀγαθῶν τὰ μὲν καλά, τὰ δὲ ἀναγκαῖα discernebantur (Stob. II 129, 8sq. W.; minus huc quadrat Stoicorum partitio in τὰ ἀναγκαῖα, τὰ δὲ μή Stob. II 77, 6sq. W.). Sequitur apud Ciceronem *non necessariorum* divisio, *quorum alia sunt per se expetenda ut ea, quae sita sunt in officiis atque virtutibus, alia quod aliquid commodi efficiunt, ut opes et copiae.* Haec verba cum sine dubio contextum turbent et astrictius eandem divisionem significent, quae in paragrapho sequente (87) laxius exponitur, Schuetzius, Kayserus,

Iam vero de Platonis virtutum descriptione adeundi sunt Raederus passim (imprimis p. 210 sqq.) et Mutschmannus p. XIV, 16. Qui viri docti hoc explanaverunt Platonem in prioribus scriptis quattuor illis notissimis virtutibus ὁσιότητα addidisse[1]), postea vero ubique sollemnem virtutum quadripartitionem usurpasse, vel potius, ut Zellerus[2]) opinatur, cum eam usurparet, sollemnem reddidisse. Quam eandem apud Aristotelem uno tantum loco, sed luculento inveni Pol. VII 1, 1323a 28 sq.[3]): οὐδεὶς γὰρ ἂν φαίη μακάριον τὸν μηδὲν μόριον ἔχοντα ἀνδρίας μηδὲ σωφροσύνης μηδὲ δικαιοσύνης μηδὲ φρονήσεως[4]) et q. s., quibus verbis philosophus hanc quadripartitionem suis temporibus in vulgus descendisse significat. Ceterum Aristoteles saepissime, ubi obiter virtutes ethicas tangit, ipse quoque σωφροσύνην solum, ἀνδρείαν, δικαιοσύνην speciminis gratia commemorat ut Top. 107a 7; Eth. Nic. 1144b 5, 1177a 31 sq.; Pol. 1259 b 24,31; 1260a 21; cf. etiam M. M. 1185b 7; 1207b 25. Accedit quod Rhet. I 6 et I 9 has tres virtutes reliquae, quam illic praebet seriei anteponit, ut

---

Friedrichius exstirpant. At vereor, ne confusio non interpolatori, sed ipsi Ciceroni crimini vertenda sit. Quapropter ne in § 87 quidem verba: *quae propter se expetuntur,* quae verba viri docti item auferunt, resecanda esse putavi, praesertim cum partitio, quae his verbis non sublatis evadat, et paululum alia est atque in § 86 expressa, quae de inv. II cap. 52 repetitur, nec plane singularis est. Nam quod nunc in integra paragrapho 87 inter *ea quae propter se expetuntur* non solum virtutes, sed etiam corporis et externa bona numerantur, ecce similem doctrinam apud Stob. II 135, 1 sq. W. Peripateticis tributam invenimus, quo loco praeter virtutes etiam res extraneae inter τὰ δι' αὐτὰ αἱρετά apparent. Mirum tamen videtur, quod part. or. 24, 87 *ea quae propter se expetuntur* in easdem fere species diducuntur, in quas de inv. II 52 *ea quae* omnino *expetuntur* aut *propter se* aut *propter fructum.*

[1]) Raeder p. 81—2; 128—9; Mutschmann p. XIV, qui insuper quinquepertitam divisionem quondam vulgarem fuisse ex eo conicit, quod eadem in Xenophontis Agesilao c. 3—6 et Isocratis Euagora 22—26 legatur.

[2]) G. d. Ph. d. G. II 1[4] p. 883—4.

[3]) Paulo ante a 25 τριῶν illarum μερίδων, τῶν τε ἐκτὸς καὶ τῶν ἐν τῷ σώματι καὶ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ mentio fit.

[4]) φρόνησις hic latiore sensu utitur, ut ex a 32—34 concludo. cf. Bonitz, index s. v.

vides supra ex tabellis. Interdum etiam duae virtutes ethicae cum una dianoetica consociantur, ut Pol. 1323b 33 (36) φρόνησις (φρόνιμος) et ἀνδρεία, δικαιοσύνη[1]) (δίκαιος, σώφρων), ut Rhet. III 16,1416b 24, ubi agitur de generis demonstrativi narratione: ἀνδρεῖος, σοφός, δίκαιος. Hoc autem loco Aristoteles plane ex Isocrate[2]) pendet, qui easdem tres virtutes ter eodem atque Aristoteles ordine affert: Euag. 22; Hel. 1 et 54. Eaedem etiam apud Anaximenem p. 14, 80, 83 revertuntur[3]). Quibus perpensis eo adducimur, ut opinemur hanc tripertitam quoque virtutum divisionem aut antiquitus traditam, (quod ut credamus Hel. 1 suadet), aut ab Isocrate primo crebrius adhibitam in genere certe epidictico quarto saeculo in sollemnem usum abiisse. —

Attamen in posteriora saecula illa quadripertita distributio maximam vim exercuit, quae non modo in Aristotelëis, quae vulgo dicuntur et codicis Marciani divisionibus[4]), dein apud Stoicos[5]) (et Epicureos[6])), sed etiam apud Romanos[7]) saepissime reperitur. Cuius rei testimonia Ciceroniana Merchantius p. 51 sedulo congessit, qui omnino p. 50 sqq. de

---

[1]) Ipse Rhet. I 9,1366b 5 δικαίους, ait, καὶ ἀνδρείους μάλιστα τιμῶσιν.

[2]) Passim apud Isocratem laudantur e. g. III 43: ἀνδρία, δεινότης (i. e. eloquentiae vis, ni fallor, cf. Preuss, ind. s. v.), quibus opponuntur δικαιοσύνη, σωφροσύνη; X 31: ἀνδρία . . . . ἐπιστήμη πρὸς τὸν πόλεμον . . . . εὐσέβεια . . . ἄλλη ἀρετὴ καὶ σωφροσύνη; XV 111: . . . Περικλῆς ὁ μεγίστην ἐπὶ σοφίᾳ καὶ δικαιοσύνῃ καὶ σωφροσύνῃ δόξαν εἰληφώς. . . . cf. ep. 9,4, alias.

[3]) Aliae p. 104: σοφία, φρόνησις, ἀνδρεία, σωφροσύνη, δικαιοσύνη occurunt; quae virtutes (duae dianoeticae, tres ethicae) Posidonii sunt principales (cf. Schmekel p. 272). Nec vero disceptare audeo, num propter hanc et alias causas haec appendix, ut Spengelius, Fuhrius, alii docti viri suspicati sunt, spuria sit putanda. Nam cf. Wendland p. 66[3].

[4]) div. 1,[5], 13,[2], [56].

[5]) cf. Zeller III 1^3 p. 239 sq.

[6]) cf. Zeller III 1^3 p. 447.

[7]) De quattuor virtutibus cardinalibus, quae postea vocabantur, Ciceronem vel proprium libellum composuisse accepimus. Ordo autem ipse, quem Cicero de inv. II 53,160, alias et auctor ad H. III 2,3 = 6,10 in illis virtutibus enumerandis et perscribendis observant, communis est atque cohaeret me iudice cum ratione ea, qua virtutes distribuebantur secundum partes animae. cf. Mutschmann p. 15—16.

virtutum partitionibus, quae exstant apud Tullium in diversis libris, copiosissime agit, ita tamen, ut fontes, e quibus fluxerit eius doctrina, ne conatus quidem sit indagare. At in hoc mea quidem sententia totus cardo vertitur. Velut haud sane iniquo animo audivissem, quid de artificiosa et satis mira[1]) virtutum bipertita divisione cogitandum esset, quae part. or. 22,76 sqq. invenitur, in qua Panaetianae doctrinae vestigia detegere mihi videor. Singulas autem particulas, in quas Cicero cum in part. or. 22,76 sqq. tum de inv. II 53,159 virtutes primas dirimit, hic apponere non expedit.

Denique duobus locis in libris de oratore (II 17,86; 84,343—44), quibus generis demonstrativi tractatio explicatur, virtutes permixtim sine ordine enumerantur tantum, non disponuntur, nisi quod II 84,343 (cf. supra p. 73) discernuntur virtutes ethicae et dianöeticae. Quam disciplinae simplicitatem, quae antiquitatem sapere videtur, eo magis ad usurpata ἐγχειρίδια ab Stoicorum aliorumque partiendi subtilitate aliena, quamvis experta Peripateticorum vim, revocandam esse puto, quia omnino in genere epidictico mira perspicitur praeceptorum constantia[2]).

Sed omnibus locis apud Ciceronem quoque eae tres virtutes, quae apud omnes auctores apparent, sc. ἀνδρία = fortitudo; σοφία (φρόνησις) = sapientia (prudentia); δικαιοσύνη = iustitia non desiderantur.

Iam vero illum, quem ostendimus consensum in bonorum distributione et enumeratione inter singulos auctores intercedentem vix casu ortum, sed inde explanandum esse, quod Graecorum doctrina per saecula non exstincta, partim immutata ad Latinos transmigraverit, quis est qui negct?

[1]) Mirum est praeter cetera, quod § 78 *amicitia* in virtutibus habetur. Nam 25,88 legimus: *Est etiam quaedam quasi materies subiecta honestati* (cf. Stob. II 134,19, ubi commemorantur τὰ ὑλικὰ τῶν ἀρετῶν) *quae maxime spectatur in amicitiis*; de inv. autem II 52,157; 55,166 *amicitia* ei generi attribuitur, quod partim *in utilitate*, partim *in honestate* consistit, cum ibidem 56,168 *amicitiarum multitudo* ad solam utilitatem, *amici* ipsi 59,177, ubi generis laudativi materia exponitur, ad res externas referantur.

[2]) cf. infra p. 88 sqq.

Restat, ut quae singulae rationes in virtutum definitionibus et expositionibus exstent, demonstrem. Ac virtutis ipsius descriptio apud Cic. de inv. II 53,160: *Virtus est animi habitus naturae modo atque rationi consentaneus*, Stoica est. Cf. e. g. Stob. II 75,8 W.: φασὶ (Stoici) καὶ τὴν ἀρετὴν πᾶσαν τὴν περὶ ἄνθρωπον . . . ζωὴν ἀκόλουθον ὑπάρχειν καὶ ὁμολογουμένην φύσει. Item primae virtutis palmaris, sc. *prudentiae*[1]) definitionem Cicero verbotenus a Stoicis deprompsit. Cf. de inv. II 53,160: *prudentia est rerum bonarum et malarum neutrarumque scientia*[2]) et Stob. II 59,4: φρόνησιν δ'εἶναι . . . . ἐπιστήμην ἀγαθῶν καὶ κακῶν καὶ οὐδετέρων[3]) . . .

Sequitur iustitia, quae apud omnes fere scriptores simillime definitur:

Arist. Top. 143a 16: ἕξις[4]) ἰσότητος ποιητικὴ ἢ διανεμητικὴ τοῦ ἴσου, 145b 36: δύναμις[5]) τοῦ ἴσου διανεμητική; cf. Eth. Nic. V 9, 1133b 32 sqq.; Rhet. I 9,1366b 9; Def. [Plat.] 411 E: ἕξις διανεμητικὴ τοῦ κατ' ἀξίαν ἑκάστῳ. [Arist.] de virt. et vit. 1250a 12: ἀρετὴ ψυχῆς διανεμητικὴ τοῦ κατ' ἀξίαν.

Stoica definitio apud Stob. II 59,9[5]) W. (cf. 63,22) haec traditur: ἐπιστήμη ἀπονεμητικὴ τῆς ἀξίας ἑκάστῳ.

auct. ad H. III 2,3: *iustitia est aequitas ius unicuique re tribuens pro dignitate cuiusque*[6]); Cic. de inv. II 53,160:

---

[1]) Attentione digna est etiam eius ipsius divisio in *memoriam, per quam animus repetit illa, quae fuerunt, intelligentiam, per quam ea perspicit, quae sunt, providentiam, per quam futurum aliquid videtur, antequam factum est.* Cf. διαίρεσιν [19] cum Mutschmanni notis p. 45.

[2]) Comparari quoque potest auct. ad H. III 2,3: *prudentia est calliditas, quae ratione quadam potest dilectum habere bonorum et malorum. . . .*

[3]) ad hunc locum cf. Zeller III 1³ p. 239³.

[4]) Hos locos etiam propterea exscripsi, ut voces ἕξιν et δύναμιν apud Aristotelem interdum notione omnino diversas non esse ostenderem.

[5]) cf. Wachsmuthii notam et Schmekel p. 217², qui hanc definitionem usitatam esse Stoicorum dicit (cf. sis etiam Zeller III 1³ p. 240²).

[6]) Quod autem auctor ad H. III 3,4 pergit: *iustitiae partibus utemur . . . si ostendemus bene merentibus gratiam referri con-*

habitus (ἕξις, διάθεσις) *animi communi utilitate conservata*[1]) *suam cuique tribuens dignitatem.*

Ac ne *fortitudinis* quidem descriptio Ciceroniana (de inv. II 54,163): *Fortitudo est considerata periculorum susceptio et laborum perpessio,* quae eadem in auctoris ad H. definitione temeritatis IV 25,35 (cf. III 3,6) latet[2]): *temeritas est cum inconsiderata dolorum perpessione gladiatoria periculorum susceptio,* fortasse a Stoicorum ἀνδρείας definitione abhorret[3]).

De generis demonstrativi tractatione[4]).

De hoc genere quid Isocrates eiusque aequales docuerint, mihi non opus est diligentius explorare, quoniam hanc quaestionem, ad quam Leo[5]) aggressus erat, Wendlandius paene ad liquidum perduxit. A quo viro doctissimo explanatum est duplicem encomii disciplinam, quam recentiores accurate statuebant, quae e. g. in Quintiliano III 7,15[6]) stricte distinguitur, dico unam, qua totum encomium rebus gestis, alteram, qua virtutibus describendis continebatur, iam quarto saeculo exstitisse. Etenim Isocrates magis τὰ ἔργα respi-

venire et *si quod ius in parentis, deos, patriam natura comparavit, id religiose colendum demonstrabimus,* id non multum distat ab Anax. 13,25: δίκαιον . . . ἐστὶ τὸ γονέας τιμᾶν καὶ φίλους εὖ ποιεῖν καὶ τοῖς εὐεργέταις χάριν ἀποδιδόναι (cf. 15,16; 30,7 sq.). Similia habet Aristoteles 1367a 5; 74a 23; 75a 14; 79b 29 sq.; Cic. de inv. II 53,161; part. or. 23,80.

[1]) Ad verba: *communi utilitate conservata* cf. def. [Plat.] 411 E: δικαιοσύνη . . . ἰσότης κοινωνική et Arist. Pol. III 13,1283a 38.

[2]) Hoc Marxius in praef. editionis p. 128 monet.

[3]) cf. Zeller III 1,239[4].

[4]) Burgessii commentationem, quae inscribitur: epideictic literature, S. A. studies in classical philology III, Chicago 1902, p. 89—261 impetrare non potui.

[5]) Die Griechisch-Römische Biographie, Leipzig 1901.

[6]) *Alias aetatis gradus gestarumque rerum ordinem sequi speciosius fuit, ut in primis annis laudaretur indoles, tum disciplinae, post hoc operum i. e. factorum dictorumque contextus, alias in species virtutum dividere laudem fortitudinis, iustitiae, continentiae ceterarumque, ac singulis assignare quae secundum quamque earum gesta sunt.* cf. Leo p. 209—10.

ciebat[1]), quo confirmatur illum revera βίον exponere voluisse. Huc accedit, quod in Euagora *aetatis gradus sequitur*, quod Quintilianus l. c. alterius doctrinae proprium esse dicit. Contra Xenophon in Agesilao primum quidem (c. 1—2) τὰ ἔργα narrat, quamquam haec ipsa quoque ad virtutes refert, ex quibus facta emanasse putat, tum — id quod rem continet — cc. 3—9 ipsas virtutes singulas percurrit. Quae doctrina, qua tota laudatio in virtutes dirigebatur, insequentibus saeculis paene sola florebat[2]), nisi quod posteriores non iam factorum expositionem praemittere solebant, sed statim facta singulis virtutibus assignabant[3]).

Tamen mihi statuendum esse videtur quarto quidem saeculo duo laudationum genera non ita ad amussim distincta fuisse. Namque non solum Xenophon primum, ut vidimus, τὰ ἔργα recognoscit, sed Isocrates ipse quoque τὰς ἀρετάς minime neglegit. Immo vero saepissime eas commemorat, ut optimo iure Wendlandius p. 57 praedicat[4]), saepissime ex rebus gestis eas apparere asseverat. Cf. XVI 38; X 31; IX 33,46, 65; XV 118,119; cf. etiam Xenoph. Ages. I 6[5]). Wendlandius item demonstrat rhetorem in Euagora proxime ad recentiorum praecepta accedere, cum § 23 dicit: ἀνδρὶ δὲ γενομένῳ ἀνδρία προσεγένετο καὶ σοφία καὶ δικαιοσύνη, quibus e virtutibus res gestae necessario natae esse dicuntur.

Patet ergo etiam Isocratem interdum magis a virtutibus quam a factis proficisci. Sed memoria longe dignissimum est, quod posterior doctrina paene tota apud Anaximenem invenitur, ita ut Leonis verba vix stare possint, quibus vir doctissimus sollemnem encomii formam paulo ante Ciceronis memoriam ortam esse censet[6]). Nam Anaximenes, quamquam ut Isocratis assecla, illius doctrinam in Euagora expressam secutus tres aetates discernit, deinde 84,9 nos

---

[1]) Leo p. 92 et 209.
[2]) Leo p. 209.
[3]) Wendland p. 57.
[4]) cf. etiam Leo p. 91.
[5]) Hos locos omnes fere Leo passim p. 91—92 citat.
[6]) cf. Wendland p. 55.

iubet διεξιέναι τὸν βίον αὐτοῦ (ὃν ἂν κακολογῶμεν) atque in adulescente quidem praeter τρόπον et ἐπιτηδεύματα etiam τὰ ἔργα [1]) augenda esse dicit, tamen longe maximam generis epidictici vim in virtutibus demonstrandis collocat. Hoc efficitur ex divisione illa in τὰ ἔξω τῆς ἀρετῆς et τὰ ἐν αὐτῇ τῇ ἀρετῇ ἀγαθά, in quibus duabus partibus totum ἐγκώμιον consistere p. 80 exponit; efficitur ex eo, quod in omni aetatis gradu virtutes laudandas proponit: in pueris τὸ κοσμίους εἶναι καὶ σώφρονας [2]), in iuvene τρόπον et ἐπιτηδεύματα, in viro autem tres illas summas virtutes, quibus facta (ἃ διεξεπράξατο ὁ ὑφ' ἡμῶν ἐγκωμιαζόμενος ἀνήρ, 83,17) accommodanda esse putat. Denique virtuti quid tribuerit Anaximenes, inde apparet, quod τὰ ἔξω revera ad laudationem vel vituperationem nihil proficere arbitratur. Nam 84,8 (cf. 98,21) contendit: δεῖ δὲ μὴ σκώπτειν, ὃν ἂν κακολογῶμεν . . . . τὰ μὲν γὰρ σκώμματα στοχάζεται τῆς ἰδέας ἢ τῆς οὐσίας, οἱ δὲ λόγοι τῶν ἠθῶν καὶ τῶν τρόπων εἰσὶν οἷον εἰκόνες. P. 80,19 autem scriptor τὰ ἔξω τῆς ἀρετῆς κλέπτεσθαι i. e. immerito et clam afferenda esse tradit, cum homines corporis praestantiis vel divitiis ornatos non ἐπαινεῖν, sed μακαρίζειν deceat. Eadem Aristotelis sententia est, qui non modo item atque Anaximenes μακαρισμὸν et ἔπαινον I 9,1367 b 33 seiungit [3]), sed omnino bona externa in generis demonstrativi explicatione deserit (sic etiam Cic. top. 23,89), nisi quod breviter ea ad rem confirmandam utilia esse commemorat 1367 b 29: τὰ δὲ κύκλῳ εἰς πίστιν οἷον εὐγένεια καὶ παιδεία.

---

[1]) Haec etiam p. 28 magis respicere videtur. cf. e. g. 28,5: ἐπαινετὰ μὲν οὖν ἐστι πράγματα τὰ δίκαια καὶ τὰ νόμιμα etc.

[2]) Primo conspectu mirum videtur, quod pueris σωφροσύνη vindicatur. Sed idem saepius etiam apud alios scriptores invenimus. Cf. e. g. Plat. leg. IV 710 A (Zeller II 1⁴, p. 958³); Isocr. Euag. 22; Aesch. Tim. § 7; [Dem] 61,17 sqq. (Spengel ad Anax. p. 230, Wendland p. 75), Atque non dubito, quin hoc quodammodo pertineat ad illam doctrinam, qua singulae virtutes ad singulas animae partes accommodabantur. cf. div. 13 [2] (Mutschmann p. 16—17). In schematibus enim, quae ibi exstant, σωφροσύνη semper ad τὸ ἐπιθυμητικόν refertur. cf. etiam Arist. Top. 136 b 13, 138 b 1 sq: σωφροσύνη ἀρετὴ τοῦ ἐπιθυμητικοῦ.

[3]) Wendland p. 55,56 [1]. cf. etiam Eth. Nic. I 12,1101 b 10 sqq.; Eud. II 1,1219 b 8 sqq. (M. M. 1183 b 20 sqq.)

Ac de Aristotele [1]), apud quem primum duae laudandi rationes, quas apud Quintilianum legimus, accurata distinctione discernuntur, iam paulo plura dicenda sunt. Et certum est illum praecipue τὰ ἔργα ad laudationes vel vituperationes quadrare existimasse. Qua de re Loeningius [2]) haec disputat: „Das eigentliche Objekt für die sittlichen Werturteile bilden die menschlichen Handlungen“; sed statim pergit: „aber nicht so sehr als äussere Geschehnisse, sondern als Ausflüsse und Betätigungen der inneren Beschaffenheit des Menschen [3]). Ergo, ut brevi comprehendam, Aristoteles non solum factorum, sed etiam virtutum in laudandis hominibus rationem habuit, qua de causa valde cum Isocrate [4]) convenit (cf. supra). Ἔργα autem ei sunt perinde atque Isocrati σημεῖα τῆς ἕξεως [5]) (= τῆς ἀρετῆς, Wendland p. 57 [2]), hoc est ex rebus eximie gestis virtutem perspici posse contendit. Quae ipsa quidem [6]) non est quietus tantum animi habitus, sed vis quaedam ἔργα efficiens, quasi fons, e quo opera emanant [7]).

---

[1]) Hic adnotare placet Stagiritam eo ab Anaximene et posterioribus rhetoribus distare, quod in genere epidictico διήγησιν (III 16) et πίστεις (III 17) separatim tractat (alia nimirum III 13 docet; cf. Wendland p. 38). Sed πίστεων officium nihil aliud esse sumere videtur nisi τὴν αὔξησιν (1368a 28; 1417b 31). Anaximenes ipse quoque p. 30,22 amplificationes inprimis in hoc de quo agimus genere locum obtinere affirmat.

[2]) p. 125; cf. etiam Leo p. 188—89.

[3]) cf. etiam, quae Loeningius in sequentibus explicat: τὰ ἔργα non per se ut mera facta in aestimationem cadere, sed quia in iis προαίρεσις quaedam appareat bona aut mala. Προαίρεσεις autem, ut Aristoteles ipse ait Eth. Nic. III 4,1111b 5 οἰκειότατον δοκεῖ εἶναι τῇ ἀρετῇ et adicit μᾶλλον τὰ ἤθη κρίνειν τῶν πράξεων.

[4]) Quin etiam ut saepius sic 1416b 24 Isocratem exprimit, cum easdem quas ille tres virtutes ne ordine quidem inverso ad genus demonstrativum trahit (cf. supra p. 80).

[5]) Rhet. I 9,1367b 32. Addo ad locos a Loeningio citatos 1416 b 24, quo ipso loco singulae virtutes e factis demonstrandae esse dicuntur.

[6]) cf. etiam Walter: Geschichte der Ästhetik im Altertum, Leipzig 1893, p. 504: „Die Tugend nimmt ohnehin als Beschaffenheit des Subjektes einerseits, als Ursächlichkeit der Handlungen anderseits, eine Doppelstellung ein“ . . . .

[7]) cf. Eth. Nic. I 12,1101b 32: πρακτικοὶ γὰρ τῶν καλῶν ἀπὸ ταύτης (ἀρετῆς); Rhet. 1366b 25; virt. et vit. 1249a 29. Quod vero his locis

Itaque cum Aristoteles virtuti tantam auctoritatem concedat, non video, quid causae sit, cur Loeningius[1]) p. 125[9] Rhet. I 9,1367b 31: τὰ δὲ ἔργα σημεῖα τῆς ἕξεώς ἐστιν, ἐπεὶ ἐπαινοῖμεν ἂν καὶ μὴ πεπραγότα, εἰ πιστεύοιμεν εἶναι τοιοῦτον, verba ἐπεὶ .... τοιοῦτον insitiva esse putat. Nam quod Eth. Eud. II 1,1219b 9 contrarium legitur, non satis valet ad haec verba Aristoteli abiudicanda. Ceterum Eudemus ipse II 11,1228a 15 sq. similia docet[2]): ἔτι διὰ τὸ μὴ ῥᾴδιον εἶναι ἰδεῖν τὴν προαίρεσιν[3]) ὁποία τις, διὰ ταῦτα ἐκ τῶν ἔργων ἀναγκαζόμεθα κρίνειν ποῖός τις. αἱρετώτερον μὲν οὖν ἡ ἐνέργεια, ἐπαινετώτερον δ' ἡ προαίρεσις.

Sed redeamus ad illum Rhetoricae locum[4]) valde notabilem, quoniam hic 1367b 27 sq. ἔπαινος et ἐγκώμιον certa definitione distinguuntur, idque ita ut ἐπαίνου definitio ad Anaximenis et posteriorum, qui laudationem in virtutibus ponebant admodum faciat: ἔστιν δ' ἔπαινος λόγος ἐμφανίζων μέγεθος ἀρετῆς· δεῖ οὖν τὰς πράξεις ἐπιδεικνύναι ὡς τοιαῦται· τὸ δὲ ἐγκώμιον τῶν ἔργων ἐστίν .... διὸ καὶ ἐγκωμιάζομεν πράξαντας.

Idem discrimen cum inveniatur Eth. Nic. I 12,1101b 31 sq.[5]): ὁ μὲν γὰρ ἔπαινος τῆς ἀρετῆς (πρακτικοὶ γὰρ τῶν

---

etiam τὰ ποιητικὰ τῆς ἀρετῆς sive αἴτια τῶν ἀρετῶν commemorantur, quibus verbis ἔργα significantur, hoc consentaneum est. Haec nempe dicit philosophus: ex factis saepe repetitis ἕξιν quandam nasci; quam postquam ad perfectionem ducta sit, ipsam rursus facta gignere.

[1]) Loeningii sententiam non probat Wendlandius p. 42[2]. cf. Walter p. 504.

[2]) cf. M. M. I 19,1190b 1 sq.: οἱ γὰρ ἄλλοι ἄνθρωποι τὸν σπουδαῖον θεωροῦντες κρίνουσιν ἐκ τοῦ πράττειν, διὰ τὸ μὴ δυνατὸν εἶναι δηλῶσαι τὴν ἑκάστου προαίρεσιν ἣν ἔχει, ἐπεὶ εἰ ἦν εἰδέναι τὴν ἑκάστου γνώμην, ὡς ἔχει πρὸς τὸ καλόν, καὶ ἄνευ τοῦ πράττειν σπουδαῖος ἂν ἐδόκει εἶναι.

[3]) Vox προαίρεσις hic eandem habet notionem atque ἀρετή (cf. supra p. 86[8]), ut ex enuntiato, quod antecedit supra citato planum fit.

[4]) Sed Spengelius in comment. p. 146 expositionem inde ab 1367b 27 usque ad 68a 9, quam post 1416b 30, ubi nonnulla exciderunt, plane incommode nescio quis iterum inseruit, ne post 1367b 26 quidem apte poni putat. Cui Roemerus p. 50 assentitur, cum Marxius p. 253—4 nostrum locum omnino non esse Aristotelis affirmet, quamvis quae ibi traduntur vere esse Peripatetica negare non audeat.

[5]) cf. Eth. Eud. II 1,1219b 8—9; 14—16 (M. M. I 1,1183b 27).

καλῶν ἀπὸ ταύτης), τὰ δ' ἐγκώμια τῶν ἔργων ὁμοίως καὶ τῶν σωματικῶν καὶ τῶν ψυχικῶν, sequitur, ut Aristoteles geminam generis epidictici doctrinam agnoverit. Atqui cum lego, quae in Eth. Nic. 1101 b 34 post ἐπαίνου et ἐγκωμίου descriptionem adiunguntur: ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἴσως οἰκειότερον ἐξακριβοῦν τοῖς περὶ τὰ ἐγκώμια πεπονημένοις, facere non possum, quin suspicer illam distinctionem, quae sane apud Aristotelem cum eius philosophia connexa est[1]), ne rhetoribus quidem illius aetatis plane ignotam fuisse, quamquam alia eius vestigia prope deficiunt[2]).

Nunc tandem singula generis laudativi praecepta apud Latinos[3]) tradita cum Graecorum praeceptis comparemus. Initium autem disputandi auctor ad H. III 7,13 et Cicero (Antonius) de orat. II 11,46; 84,342; part. or. 22,74 sq. a genere faciunt Graecos prorsus secuti. Quam congruentiam nescio an quis dixerit ita e rerum natura nasci, ut non digna sit, quam premamus. Sed olim Romani alium morem sequebantur. cf. Pol. VI 54: ὅ γε λέγων ὑπὲρ τοῦ θάπτεσθαι μέλλοντος, ἐὰν διέλθῃ τὸν περὶ τούτου λόγον, ἄρχεται τῶν ἄλλων ἀπὸ τοῦ προγενεστάτου τῶν παρόντων (h. e. maiorum per imagines personatorum) καὶ λέγει τὰς ἐπιτυχίας ἑκάστου καὶ τὰς πράξεις. Ex hoc igitur testimonio gravissimo Romanos antiquis temporibus post ipsius demum mortui laudationem proavorum memoriam arcessivisse discimus. Nonne apparet novam doctrinam saeculo primo usitatam, qua orationem demonstrativam a maiorum laude exordiebantur, ex Graecia translatam esse[4])? Accedit quod etiam in singulis rebus auctor

---

[1]) cf. Walter p. 503 sqq.

[2]) Nec apud Xenophontem nec apud Isocratem (nisi forte Paneg. 51) differentia ἐγκώμιον inter et ἔπαινον intercedens deprehenditur (cf. Sheehan p. 15). Immo hoc ipso de quo consideramus loco postea non observatur. Nam 1367 b 36, a 1,5 sane duo illa vocabula pro synonymis usurpantur.

[3]) Praefandum est auctorem ad H. de vituperationibus peculiaria praecepta tradere, cum alii in iis contraria atque in laudationibus proferenda esse moneant. cf. Anax. 84,6—8, Arist. 1368 a 36; Cic. de orat. II 11,46 (Kroll p. 573[2]); II 85,349; (part. or. 23,80).

[4]) Aliter antiquioris et recentioris disciplinae discrepantiam Vollmerus: Jahrb. für klass. Phil., Supplement. XVIII, 1892 p. 477 explicare studet. Cui hunc ipsum Polybii locum debeo.

ad H. Graecam institutionem imitari videtur, cum primum praecipit, quid de eo, qui bono genere, tum quid de eo, qui humili loco natus sit dici oporteat. Similiter Cicero part. or. 22,74 bonum genus breviter modiceque laudare, infame praetermittere, humile autem vel praeterire iubet vel *ad augendam eius quem laudes gloriam tangere.* Hoc praeceptum, quod postremum dixi, quod apud auctorem ad H. III 7,13 vel significantius sic legitur: *si humili genere (natus sit), ipsum in suis, non in maiorum virtutibus habuisse praesidium*, quam maxime Graecae institutioni respondet[1]).

Deinde auctor ad H. se confert ad educationis tractationem. Qua peracta III 7,14 de corporis commodis verba facit, tum redit ad extraneas res[2]) (cf. supra p. 74 sq.). Hunc ordinem, quem primo conspectu satis alienum iudicabis, utpote quo enumeratio externorum bonorum (cf. III 6,10) interrumpatur, equidem denuo sic declaraverim, ut eum a Graecis sumptum esse contendam. Veluti Anaximenes 80,13 hanc seriem τῶν ἔξω τῆς ἀρετῆς praebet: εὐγένεια, ῥώμη, κάλλος, πλοῦτος. In utriusque videlicet auctoris dispositione ratio ea est, ut primum τὰ φύσει ἀγαθά[3]), ad quae et genus et educatio et corporis bona pertineant, deinde eae res extraneae, quas ille, de quo agitur, plerumque ipse sibi paraverit ut divitiae, potestates, gloriae etc. afferantur. Qua dispositione simul temporum ordini consulitur[4]). Ceterum dubium non est[5]), quin reliqua dissertatio ad robur, pulcritudinem, divitias spectans in Anaximene lacuna devorata sit, quam Wendlandius p. 55 ex auctore ad H. explendam esse conicit.

Educationem[6]) autem, cuius quidem Anaximenes non di-

---

[1]) cf. Wendland p. 55—56. Qui vir doctissimus ipsam hanc sententiam Cynicorum esse docet p. 55[3]. Libris ibi citatis adicio Arnim: Dio von Prusa, p. 40; Mutschmann p. XXXI, 12 sq.

[2]) Inter quas *civitas*, quam III 6.10 enumeravit, desideratur.

[3]) cf. Arist. 1387 a 15, qui hoc nomine εὐγένειαν et κάλλος complectitur.

[4]) Contra Cicero part. or. 22,74 (obiter de orat. II 11,46) primum res externas, deinde corporis bona perlustrari vult.

[5]) Hoc Sauppius primus cognovit.

[6]) cf. auct. ad H. III 7,13; Cic. part. or. 23,82. Educationem Isocrates in Alcibiadis potissimum laude (XVI 22—42) in § 28 dicendo tollit.

sertis verbis in bonis enumerandis mentionem facit, tamen 82,12 in transcursu tangit. Rursus Aristoteles I 9,1367b 29 εὐγένειαν et παιδείαν dilucide ad τὰ κύκλῳ, i. e. τὰ ἔξω refert[1]).

Iam vero de rebus externis Cicero de orat. II 84,342 haec tradit: *Genus forma vires opes divitiae quaeque fortuna det aut extrinsecus aut corpori, non habent in se veram laudem, quae deberi virtuti uni putatur.* Haec videlicet ad Graecam illam doctrinam accedunt, quam supra p. 85 proposuimus, qua ipsa quoque corporis et externa bona ad laudem nihil vel non multum afferre momenti docetur. Nihilo tamen secius libenter Krollio, Rh. M. 58 p. 593 adstipulor apud Latinum scriptorem aliquid novi de ratione fortunae dona in genus demonstrativum dirigendi nobis offerri, cum Tullius de orat. II 84,342 satis prudenter res externas non ipsas laudandas vel vituperandas, sed potius quo pacto is de quo dicitur his rebus usus sit considerandum esse pergat. Ac ne illud quidem negaverim hanc mutationem ad Peripateticum quendam inferioris temporis, ut ait Krollius[2]), revocandam esse[3]). At nego, quod quidem, ni fallor, viri illustrissimi sententia est, Ciceronem novae doctrinae notitiam per Antiochum, cuius auditor a. 78 fuit, assecutum esse. Nam haec doctrina non modo de orat. II 84,342 (cf. II 11,46), sed

[1]) Hoc loco adnotare non abs re erit Aristotelem non solum in εὐγενείας tractatione 1360b 30 sq. (v. Wendland p. 56 supra), sed etiam 1367b 30 pro verbo ad Anaximenem accedere, cum dicit: εἰκὸς γὰρ ἐξ ἀγαθῶν ἀγαθούς . . . . εἶναι; cf. Anax. 81,13: τοὺς ἐξ ἀγαθῶν γενομένους εἰκός ἐστι τοῖς προγόνοις ὁμοιοῦσθαι. cf. [Plat.] Alcib. I 120E (Arbs: de Alcibiade I qui fertur Platonis, diss. Kil. 1906 p. 60); Arist. Pol. I 1255b 2; III 1283a 37; frg. 92 (p. 92,14, cf. 95,7 R.).

[2]) Ad hanc coniecturam probandam Stob. II 126,14 sq. = 131,5 W. affert.

[3]) Ceterum iam Plato Euth. 280B sqq. non id esse rei caput dicit, ut bona habeamus, sed ut iis utamur idque ὀρθῶς (Raeder p. 143). Cf. Arist. Pol. VII, 1332a 21 sq.; διαιρέσεις frg. 113 (p. 107 R.); Eth. Eud. 1248b 30 sq., 49a 9 sq.; M. M. 1183b 28 sq. (Stob. II 135,5 sq. W.); Stob. II 129,16 (ubi Peripateticorum placita tractantur). Stoici quoque τὰ διάφορα (i. e. corporis et externa bona) bene et male usurpari posse contenderunt (cf. Zeller III 1[3] p. 214[3]).

etiam in libris de inv. [1]) II 59,178 exprimitur: *Videre autem in laudando et in vituperando oportebit non tam, quae in corpore aut in extraneis rebus habuerit is, de quo agetur, quam quo pacto his rebus usus sit,* quocum loco auctor ad H. III 7,13—14 [2]) plane consentit, ita ut eam iam primi saeculi initio vulgatam fuisse colligendum sit. Sed redeat disputatio, unde deflexit.

Quod auctor ad H. postremum III 8,15 perhibet: *ad omnes autem res, in quibus animus hominis maxime consideratur, illae quattuor animi virtutes erunt adcommodandae* etc., hoc valde cum Anaximene 83,17 sq. concinit, ut iam supra diximus. Idem fere Cicero (cf. inprimis part. or. 23,82) postulat, nisi quod non modo quattuor illas virtutes principales, sed multas quoque alias laudandas esse dicit. Sed in partitionibus sane oratoriis eam doctrinam, quae magis facta quam virtutes curabat, quamvis non ipse sequatur, tamen claris verbis una cum altera doctrina proponit: cf. 4,12 . . . *quibus in orationibus delectatio finis est, varii sunt ordines collocandi. Nam aut temporum servantur gradus aut generum distributiones* et 22,75: *aut enim temporum servandus ordo est* (sc. in factis enodandis) . . . *aut multa et varia facta in propria virtutum genera sunt dirigenda.* cf. etiam auct. ad H. III 7,13: *deinde ut quaeque quove tempore res erit gesta, ordine dicemus, ut quid quamque tute cauteque egerit, intellegatur.* Ergo ne huic quidem aetati duplex generis epidictici ratio incognita fuit.

Tum inter auctorem ad H. et Anaximenem hoc quoque convenit, quod ille III 8,15 admonet: *non necesse esse nos omnes has partes in laudem aut in vituperationem transferre, propterea quod saepe ne incidunt quidem* . . . ., Anaximenes autem haec dicit 83,20: . . . . ἥξομεν ἐπὶ τὴν σοφίαν, ἐὰν ὑπάρχῃ . . . . προθέμενοι τὴν ἀνδρείαν, ἐὰν ᾖ.

Postremo attende quaeso in utroque scriptore et viventium

---

[1]) cf. I, 50,94; I 16,22 (sub adversariorum persona).

[2]) cf. imprimis § 14 . . . *in his (extraneis rebus) animi virtutes aut vitia quae fuerint, considerabimus.*

et mortuorum laudationem significari, id quod ex his auctoris ad H. verbis III 7, 14: *si interierit, cuiusmodi mors eius fuerit* etc. (item Cic. de orat. II, 84, 341; part. or. 23, 82) statim et aperte evincitur, minus aperte, sed ita ut diligentius verbi tempora respicienti non difficile sit ad intellegendum, hoc Anaximenis loco indicatur 83, 9 sq.: καίτοι ὅστις νέος οὕτω φιλόσοφος[1]) ἐγένετο, πρεσβύτερος γενόμενος μεγάλην ἂν ἐπίδοσιν ἔσχε· καίτοι ὅστις ἐῤῥωμένως τοὺς ἐν τοῖς γυμνασίοις ὑπομένει πόνους, σφόδρα τὴν ἐν τῇ φιλοσοφίᾳ[1]) φιλοπονίαν ἀγαπήσει. Nempe irrealis in priore enuntiato de mortuo agi ostendit.

In appendice, quam post conclusionem III, 8, 15 inserit, scriptor ad H.: *in ipsa causa*, inquit, *crebras et breves amplificationes interponemus per locos communis.* Item Graeci in genere demonstrativo amplificationes non modo adhibendas proponunt, sed etiam certis regulis amplectuntur. Quae vero Anaximenes et Aristoteles[2]) et Isocrates de augendi et minuendi ratione docuerint, Wendlandius p. 58 abundanter expedivit. Atque ostendit vir doctus Anaximenem duplicem comparandi rationem (ἀντιπαραβολήν[3])) in amplificationibus

---

[1]) Vocabula φιλόσοφος et φιλοσοφία hic in Isocratis modum adhiberi videntur (cf. de Wilamowitz, Hermae 34, p. 619[1], 622[1]; Wendland p. 80); quod ipsum quoque libelli nostri antiquitatem testatur.

[2]) Addo ad locos a Wendlandio citatos Arist. 1417 b 31.

[3]) cf. etiam Arist. frgm. 91 (p. 92, 7 R.). Ceterum hae ἀντιπαραβολαί non solum in genere demonstrativo locum obtinent (Wendland, p. 58). Et Reuterus quidem (Hermae 38 p. 495—96) observat iam apud Antiphontem in oratiunculis illis, in quas universae eius orationes digerendae sint, non solum impetum fieri in adversarium (τὰ πρὸς τὸν ἀντίδικον), sed etiam non semel vel duo diversa testimonia vel ipsam actoris et accusati causam inter se comparari. Quas comparationes vir doctus modo συγκρίσεις (sic etiam Arist. 1368 a 21), modo δικαιολογίας appellat. At certe nihil nos impedit, ne eas ἀντιπαραβολάς nuncupemus. Quas ἀντιπαραβολάς in iudiciis valde usitatas fuisse cum ex aliis rebus, tum inde apparet, quod Aristoteles I, 9, 1368 a 21, quo loco cum Wendlandio διὰ τὴν συνήθειαν lego, eas Isocrati crimini vertit.

Quae cum ita sint, non mirum videtur, quod nonnulli rhetores (cf. Arist. Rhet. III, 13) usui rationem accommodabant, cum ἀντιπαραβολήν et simul cum ea τὰ πρὸς τὸν ἀντίδικον non μέρη τῶν πίστεων, ut Aristoteles vult, sed potius certa et peculiaria μέρη τοῦ λόγου esse contendebant hoc

observasse, quam ne Aristoteles quidem abnuerit. Nec tertia non invenitur, quae in gradationis (κλῖμαξ) formam abit, quam Anaximenes 30, 5 et 83, 7[1]) dilucide profert, Aristoteles praeteriens 1365a 16 memorat eodem atque Anaximenes 30, 6 termino (ἐποικοδομεῖν[2])) usus.

Apud posteriores vero hae accuratae comparandi et augendi rationes frustra quaeruntur[3]), praeterquam quod uno certe loco de orat. II 85, 348 (Anton.) haec legimus: *est etiam cum ceteris praestantibus viris comparatio in laudatione praeclara.*

At strictim amplificationes et attenuationes non raro apud Latinos commendantur: cf. e. g.: auct. ad H. I, 5, 8 = Cic. I, 16, 22 in prooemio.

---

nempe secum reputantes: ipsam rerum naturam postulare, ut prima quadam et singulari parte nostra confirmaremus, altera adversariorum argumentationem refutaremus, tertia comparationem institueremus, qua nostram causam augeremus, adversariorum deprimeremus. Qui vero illi fuerint, qui talia Aristoteli non probata (nisi quod 1414b 2 . . . ἀντιπαραβολή, inquit, ... ἐν ταῖς δημηγορίαις τότε γίγνεται, ὅταν ἀντιλογία ᾖ) traderent, non satis constat. Quamquam Spengelius in commentario p. 424 Theodorum Byzantinum intellegit, quem voce ἐπεξελέγχου (1414b 15) et τὰ πρὸς τὸν ἀντίδικον et ἀντιπαραβολὴν comprehendisse ex toto loci Aristotelei contextu suspicatur.

[1]) Utrobique verbum εἰκάζειν exstat.

[2]) cf. Wendland p. 60[1].

[3]) Sed noli credere contentiones a Romanis neglectas esse. Nam Ciceronem in orationibus saepissime aut delectationis aut vituperationis gratia aut aliis de causis contentiones variis usurpasse modis, Preiswerkius praeclare p. 107—23 demonstrat. Quas tamen ut ad eas formas redegerit, quae apud Graecos frequentabantur et in commentariis rhetoricis commendabantur, tantum abest, ut Tullius et vel magis etiam auctor ad H. similem atque Anaximenes (et Aristoteles) mandant rationem comparandi, in vitiis argumentationis ducere videantur. cf. auct. ad H. II 28, 45: *Item vitiosum est in comparandis rebus alteram rem efferre, de re altera mentionem non facere aut neglegentius disputare: ut si cum comparetur, . . . quae commoda sint in altera re vera, curet, enumeret, quae in altera incommoda sint et quae velit depressa praetereat aut ea quae minima sint, dicat.* et: *item vitiosum est in rebus comparandis necesse putari, alteram rem vituperari, cum alteram laudes* . . . (peraeque Cic. de inv. I 50,94).

auct. ad H. II, 6, 9 in approbatione; II, 17, 26 (simil. Cic. II, 36, 108) in deprecatione.

auctor ad H. III, 2, 2 rationem augendi et deprimendi etiam in genus deliberativum transfert, qua in re ei cum Anaximene convenit (Wendland p. 58). Cf. porro auct. ad H. IV, 33, 44; 34, 45 et 46; Cic. de inv. II, 22, 67; de orat. III, 27, 105[1]). Praecipue vero Cic. orat. 36, 125 sq.; part. or. 8, 27; 15, 52; 36, 128; 38, 135 animadvertenda sunt, quibus locis amplificatio cum in reliquo orationis cursu multum ponderis habere fertur, tum maxime in peroratione. Qua in parte, quid valeat, infra p. 97 sq. demonstrabimus.

Postremo admonendum est scriptorem ad H. II 29, 46[2]) aperte de eadem re atque Aristotelem II, 24, 1401 b 3 agere. Sed auctor ad H., cum vitiosum esse putet: *siquis quem arguat .... et antequam satis idoneas argumentationes attulerit, augeat peccatum*, Aristoteles l. c. hanc augendi speciem quamvis falsam (φαινόμενον ἐνθύμημα) nonnumquam adhibere suadet. Dicit autem: ἄλλος δὲ τόπος τὸ δεινώσει κατασκευάζειν ἢ ἀνασκευάζειν· τοῦτο δ' ἐστὶν ὅταν, μὴ δείξας ὅτι ἐποίησεν, αὐξήσῃ τὸ πρᾶγμα etc. Attamen III, 19, 1419 b 21 Aristoteles plane ad auctorem ad H. accedit, cum ait: δεῖ γὰρ τὰ πεπραγμένα ὁμολογεῖσθαι, εἰ μέλλει τὸ ποσὸν ἐρεῖν.

Nunc ad generis iudicialis confirmationem progredi debebam: quo in genere singula argumenta (εἰκός, τεκμήριον etc.) comparanda erant. Sed hanc disquisitionem reliqui, ne ultra modum dissertationis procederem. Quapropter disputando finem imponam, cum antea

De epilogo

commentatus ero. De hac orationis parte quid Graeci tradiderint, iam satis exposuerunt Marxius p. 315 sq. et Wendlandius p. 43 sq. Et Strillerus quoque p. 14 nonnulla affert, quae tamen non omnia probo. Quod enim vir doctus etiam Isocratem ἐπίλογον μονομερῆ statuisse asseverat, — quam

[1]) Ad hunc locum cf. Kroll p. 569 sq.

[2]) Simiter Cic. de inv. I, 49, 92; de orat. III, 27, 106.

sententiam ex ipsis eius orationibus comprobare studet[1]) — a veritate abhorret[2]). Anaximenes vero non solum bipertitum, ut Strillerus vult, epilogum agnoscit, sed etiam tripertitum[3]). Quamquam memoratu dignum est Anaximenem uni certe generi (sc. epidictico) solam ἀνακεφαλαίωσιν (ἀνάμνησιν) tribuisse (cf. 84, 2), nisi quod ἤτοι γνώμην ἢ ἐνθύμημα παντὶ τῷ λόγῳ ut τελευτήν adicienda esse arbitratur[4]). Sed aliorum εἰδῶν plures partes in epilogo proprias esse censet, ut Wendlandius l. c. commonet, qui vir doctissimus accusationem et defensionem perlustrat.

Nec in suasionis et dissuasionis conclusione Anaximenes tres illas partes a Theodecte statutas neglegit[5]). Nam primum quidem παλιλλογίαν = ἀνάμνησιν 76, 22; 78, 26; 95, 15 commendat. Dein in suasione 76,26 sq., in dissuasione 78, 27 sq. de affectibus abundanter disputat. Atque haec de affectibus concitandis praecepta reapse ad perorationem spectare — id quod scriptor non plane dicit —, cum ex 91, 15 sq. planum fit, ubi idem motus animi, qui p. 77[6]) et 79 exstant, eodem ordine in generis iudicialis epilogo redintegrantur, tum ex 96, 3 sqq., quo loco fere idem non obiter enumerantur, sed expositione quadam, quae p. 77 et 79 simillima legitur, ad epilogum accommodantur. Accedit quod Anaximenes etiam τὸ ἐπαινεῖν καὶ ψέγειν ad genus deliberativum refert. Quod quidem iam ex 95,16 sq. perspicuum his verbis (96,3—5) efficitur: εὖ

---

[1]) cf. Sheehan p. 29.

[2]) cf. Marx et Wendland ll. cc.

[3]) Wendland p. 43.

[4]) cf. etiam 95, 18, ubi hanc doctrinam claris verbis profert: οὐ γὰρ μόνον ἀναμνῆσαι δεῖν φαμεν περὶ τῶν εἰρημένων ἐνταῦθα καθάπερ [καὶ] ἐπὶ τῶν ἐγκωμίων καὶ κακαλογιῶν . . . . Nam καὶ post καθάπερ resecare malim. Ceterum Isocrates XII 266 (cf. Arist. III, 13) τὸ ἀναμιμνήσκειν i. e. totum epilogum in genere laudativo supervacare putat (cf. supra p. 21[7]). Item Cicero part. or. 17, 59: *enumeratio . . . laudatori numquam . . . . necessaria.*

[5]) Quamquam τὰ πάθη et illud ἐπαινεῖν καὶ ψέγειν ubique conflat, quod ex 91, 15; 95, 18 sq. apparet (cf. Wendland p. 44).

[6]) cf. hic Anax. 77, 17—18 cum Arist. 1384 a 9—10.

δὲ διαθήσομεν ἡμᾶς καὶ τοὺς ἐναντίους κακῶς[1]), ὥσπερ ἐπὶ τῶν προτροπῶν (sc. p. 77) καὶ ἀποτροπῶν (sc. p. 79) . . . Ergo Anaximenes etiam deliberationum perorationibus tria officia assignavit.

Quod autem valde notabile est, ne αὔξησιν quidem, quam Aristotelem epilogo tribuisse scimus (cf. 1419b 20), Anaximenes prorsus aspernatus est, sed in appendice (101,11) et in genere ἐξεταστικῷ (99,2) respexit[2]).

De Theodectis et Aristotelis ratione epilogi dispertiendi nihil habeo, quod ad Wendlandii disputationem addam.

Sed nonnihil quamvis a Wendlandio p. 52 iam attactum ad Aristotelem et Anaximenem inter se conferendos proponam. Aristoteles in quarta conclusionis parte (ἀνάμνησις). duo genera segregat, e quibus unum ἐξ ἀντιπαραβολῆς τοῦ ἐναντίου (1419b 34) oriri, quod genus ipsum in εἰρωνείαν et ἐρώτησιν subdividitur[3]), alterum (1420a 5) meram confirmationis repetitionem continere dicitur. Huius distributionis vestigia in Anaximene quoque cernuntur. Nam ex quattuor illis partibus, in quas παλιλλογίαν p. 56,7 sq. dirimit, duae sane etiam apud Aristotelem occurrunt, dico ἀνάμνησιν, quae τῷ ἀπολογίζεσθαι fit (56,17), quae eadem est ac Stagiritae κατὰ φύσιν ἀνάμνησις, atque ἀνάμνησιν, quae ἐξ ἐπερωτήσεως est (57,5), quae ad verbum apud Aristotelem revertitur[4]). Etiam propius ad Aristotelis divisionem Anaximenes 76,22 sq. accedit, ubi legitur: ἐπὶ τελευτῇ παλιλλογήσομεν τὰ προειρημένα σχήματα διαλογισμοῦ λαβόντες ἢ ἀπολογισμοῦ ἢ προαιρέσεως ἢ ἐξ ἐπερωτήσεως ἢ εἰρωνείας[5]).

---

[1]) Haec enim verba eandem vim habent ac τὸ ἐπαινεῖν καὶ ψέγειν (Wendland p. 43[3]).

[2]) Fortasse haec doctrina etiam 78,22 latet, ubi auctor augendi et obtrectandi rationem sic memorat, ut vix diiudicari possit, utrum eam ad βεβαίωσιν anad προκατάληψιν anad ἐπίλογον revocare velit.

[3]) Aliam quandam partem (v. 1419b 35) hic praetermittere licet.

[4]) Etiam apud Anax. 95,21 τὸ ἀπολογίζεσθαι tantum et προσερωτᾶν respicitur, nisi forte hic locus corruptus est. In interrogatione autem Anaximenes l. c. ipse quoque comparationem quandam docere videtur. Cf. 95,23: ἔστι δὲ μνημονικὸν ποιεῖν . . . . προσερωτῶντα τῶν μὲν σαυτοῦ τὰ βέλτιστα, τῶν δ' ἐναντίων τὰ φαυλότατα.

[5]) Quod ante ἐπερωτήσεως praepositionem ponit, mihi quidem

Atque etiam in anonymo Seg. § 221 (44,7 G.) σχήματα ἀνακεφαλαιώσεως inveniuntur, e quibus unum saltem sc. εἰρωνεία cum antiquioribus scriptoribus facit. Ceterum anonymus, quamvis epilogum ad Isocratis normam in duas tantum partes distribuit (Marx p. 315), sc. ἀνακεφαλαίωσιν et πάθη, minime τὴν αὔξησιν praetermittit, quam § 229 (45,11 G.) aperte affectibus subnectit: ἔργον δ' ἐπιλόγου ἢ προϋπάρχοντα πάθη αὐξῆσαι ἢ ἐμποιῆσαι μὴ ὄντα[1]). Quin etiam illam Theodectis partem disertis verbis ad reliquam explicationem adiungit[2]). Vides ergo etiam anonymum vix aliter atque Anaximenem singulas epilogi partes minus acriter et artificiose quam Aristotelem distinxisse. Quod idem Ciceronem et auctorem ad H. fecisse statim ostendam.

Distinguunt autem Romani (auct. ad H. II 30,47; Cic. de inv. I 52,98 sq.) tres epilogi partes, quas tribus ex illis quattuor Aristoteleis respondere iam Marxius p. 317[2] commonefacit.

Ac profecto *enumeratio*, prima conclusionis pars, in qua nominanda Cicero et auctor ad H. concordant, eadem est atque ἀνάμνησις, quae apud Graecos dicitur.

Deinde alteram auctoris ad H. partem i. e. amplificationem[3]) (I 30,48—49) cum Aristotelica altera, quae τῷ αὔξειν ἢ ταπεινοῦν (1419b 20) continetur, contendere debemus, etiamsi auctoris ad H. amplificatio magnam partem in affectus cadit, ut ilico ex his verbis intellegitur: *amplificatio est res, quae per locum communem instigationis auditorum causa sumitur*. Et Cicero quidem alteram conclusionis partem (I 53, 54), de cuius explicatione ei cum scriptore ad H. magnopere convenit, quoniam uterque eosdem decem locos communes porrigit, non modo indignationem[4]) vocat, sed etiam sic

---

indicare videtur duo σχήματα posteriora artiore affinitate consociata esse.

[1]) cf. Cic. top. 26,98.

[2]) cf. § 235 (46,11 G) et Graeveni notam.

[3]) De diversis locis, ubi αὔξησις inveniatur deque rationibus, quae inter illam et locos communes exstent, agit Krollius p. 569 sq.

[4]) i. e. δείνωσιν, quam Stagirita 1419b 26 in affectibus numerat.

definit: *indignatio est oratio, per quam conficitur, ut in aliquem hominem magnum odium aut in rem gravis offensio concitetur*[1]).

Quae cum ita sint, Latinos amplificatione ad affectus permovendos usos esse patet. Atque in partitionibus or. 15,52 sq. (cf. 35,122) Cicero sibi constanter epilogum omnino in duas partes contraxit, nempe in enumerationem et amplificationem. Sed hanc posteriorem paene totam ad animi motus excitandos pertinere vult, quo evincitur Ciceronem in hoc sane libello cum Isocrateis facere. Quid? quod part. or. 27,96 (cf. 17,59) in genere deliberativo nihil aliud perorationi attribuit nisi audientium animos inflammare, restinguere, quocunque modo commovere, quod quidem munus tamen augendo potissimum effici putat. Similem sententiam de orat. II 81,332; orat. 35,122, top. 26,98[2]) sequitur[3]) (cf. etiam part. or. 5, 14, 15).

Hic autem insignem quendam Ciceronis locum, quo et affectus et laudandi vituperandique ratio plane ad amplificationem trahitur, totum fere decerpere iuvat de orat. III 26,104—5: *Summa autem laus eloquentiae est amplificare rem ornando*; . . . . *Id desideratur omnibus iis in locis, quos ad fidem orationis faciendam adhiberi dixit Antonius, vel cum explanamus aliquid* (i. e. συλλογισμός) *vel cum conciliamus* (i. e. ἦθος) *vel cum concitamus* (i. e. πάθος)[4]). § 105 *Sed in hoc quod postremum dixi, amplificatio potest plurimum, eaque una laus oratoris est et propria maxime. Etiam maior est illa exercitatio . . . . laudandi et vituperandi. Nihil est enim ad exaggerandam et amplificandam orationem accommodatius quam utrumque horum cumulatissime facere posse.*

Postrema conclusionis pars, quam Cicero in libris de inv. I 55—56 statuit, quam ipse *conquestionem* appellat,

---

[1]) Nec tamen vox *amplificationis* desideratur; v. § 100.

[2]) Sed hoc loco *perorationem et alia quaedam habere* adicit.

[3]) v. Heinicke p. 102, Merchant p. 41.

[4]) De divisione in συλλογισμόν, πάθος, ἦθος cf. Spengelii copiosam enumerationem: Abh. d. Bayr. Ac. VI 1852, p. 481 sq.

auctor ad H. II 31,50 *misericordiam*, prorsus videlicet in affectus convenit[1]).

Reliquum est, ut ad singula aggrediamur:

In enumeratione describenda omnes auctores eo conspirant, quod eam brevem (σύντομον) esse iubent. cf. Anax. 56,7; 75,16; 83,16; 84,2; 95,3. Aristot. 1419b 32; anon. Seg. § 210 (41,22 G.); § 219 (43,19 sq. G.); auct. ad H. II 30,47; Cic. de inv. I 52,100; part. or. 17,60.

Ac mira quaedam necessitudo inter Ciceronem et Aristotelem (Anaximenemque) in hac parte tractanda perspicitur. Etenim Cicero I 52,98—99 pariter ac philosophus duplicem enumerandi modum statuit: unum, qui sola enumeratione, alterum qui comparatione evadat: *tum oportebit ita facere, ut plerique faciunt propter facilitatem, singillatim unamquamque rem attingere et ita omnes transire breviter argumentationes* . . . . § 99 *Atque in his generibus, ut ante dictum est, tum tuas argumentationes transire separatim, tum, id quod artificiosius est, cum tuis contrarias coniungere; et cum tuam dixeris argumentationem, tum contra eam quod adferatur, quemadmodum dilueris, ostendere. Ita per brevem comparationem auditoris memoria et de confirmatione et de reprehensione redintegrabitur.* Hoc non obscure ad Aristotelem 1419b 34 sqq. (cf. supra p. 96) accedit. Nec interrogationem, quam in enumeratione sedem habere Aristoteles et Anaximenes arbitrantur, Cicero ab ea excludit, cum ait § 98: *tum ab iis, qui audiunt, quaerere, quid sit, quod sibi velle debeant demonstrari.*

---

[1]) Quod autem Graeci (Anax. 77 et 96; Arist. 1419b 25) maiorem affectuum copiam afferunt, id non tanti interest, quia Cicero quoque alibi plures praebet. Cf. praeter part. or. 16,56 sq., top. 26,98—99 cum orat. 38,131, ubi claris verbis mentem iudicum permovendam esse sola miseratione denegatur, tum maxime de orat. II 51,206 sqq., quo loco Antonius singulos animi motus ea ratione recenset, ut et cum Aristotele II 1 sqq. (cf. Kroll p. 582[2]) vehementer consentiat nec Anaximenem p. 76, 78, 96 non tangat. Praeterea animadvertendum est Aristotelem l. c. (1419b 25) ἔλεον (= *conquestionem*) et δείνωσιν (= *indignationem*) ut gravissima πάθη ceterorum agmini anteponere (cf. Marx p. 317). Quae duo πάθη 1417a 13 sola affert (cf. etiam 1354a 16,25; 1395a 8).